DE
DIONIS PLUTARCHEI FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS BACHOF
OHRDRUFIENSIS.

GOTHAE MDCCCLXXIV.

TYPIS OFFICINAE DUCALIS ENGELHARDO-REYHERIANAE.

CURTIO WACHSMUTH

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

De Dionis Plutarchei fontibus qui adhuc scripserunt [1]), eos veterem illam rationem indagandi secutos rebus in universum tractatis singularumque partium diligenti perscrutatione neglecta hanc quaestionem minime absolvisse nemo vel mediocriter versatus in hisce studiis nescius est. Qua re cur denuo quaerendi quibus auctoribus Plutarchus in vita Dionis describenda usus sit negotium susceperim haud scio an iustam habeat causam. Quae quaestio priusquam ipsa instituatur, pauca videntur praemittenda esse. Non dicam de Plutarchi indole et compilandorum auctorum ratione neque de iis ipsis auctoribus primariis, qui sive universas res in Sicilia et Graecia gestas pertractantes sive de Siciliae tyrannis scribentes [2]) Plutarcho illustrandae Dionis vitae aptam materiam potuerunt praebere. Nam quamvis talis expositio fere necessarium totius inquisitionis fundamentum videatur, tamen, quum persaepe iam copiosissime et subtilissime haec omnia demonstrata sint, hoc munere supersedere me posse putavi.

Itaque praecipiendum non est nisi de duobus fontibus, quorum vestigia in ceteris Plutarchi vitis vix exstant, de *epistolis,* quae vulgo *Platonis* nomine feruntur, et de *Timonidis* literis ad Speusippum philosophum datis.

Epistolae illae quin non ab ipso Platone scriptae, sed post eius tempora compositae sint, postquam de hac re

1) Heeren: de font. et auct. vit. parall. Plut. comment. 1820. p. 51. — Haug: d. Quell. Plut. in d. Lebensbeschreibg. d. Grch. 1854. p. 60. (Bœttcheri praefat. lib. de reb. Syrac. ap. Liv. et Plut. Dresd. 1838. inspicere non potui.)

2) Cf. Holm: Gesch. Sic. im Alterth. Anhg. I. p. 307 sq.

accuratissime Salomonius [1]), Westermannus [2]), Karstenus [3]), Sauppius [4]) disseruerunt, non iam in dubium revocari potest. Ut autem de eo, Platonis non esse has epistolas, viri docti nunc satis consentiant, tamen quis Platonis personam sibi imponens eas conscripserit opiniones variae sunt et inter se dissidentes. Dubitatur enim utrum, sicuti fere totum illarum, quae aetatem tulerunt, epistolarum genus posteriore tempore ex rhetorum quorundam eorumque haud raro insulsissimorum officinis prorepsit, illae quoque tertio fere ante Chr. n. saeculo ex rhetoris nescio cuius schola sint profectae an, si non omnes, at gravissimae, septima potissimum, a discipulo quodam Platonis scriptae sint rerum vere gestarum cognitione nequaquam destituto. Illam opinionem argutissime Karstenus defendit et cum eo conspirant plerique, qui novissime rem tetigere, ad hanc redit Gutschmidius [5]) causis tamen cur in hac opinione versetur nullis additis.

Qua virorum doctissimorum dissensione orta utros sequerer diu dubio omnibus rationibus reputatis una probanda mihi videbatur Karsteni opinio. Nam quae ad Gutschmidii iudicium stabiliendum ex epistola septima enucleari possent in cassum studebam invenire. Equidem illis epistolis nimiam fidem habendam esse negaverim.

Sed haud scio an videar hanc totam quaestionem ad iudicandam Plutarcheae narrationis auctoritatem vel maxime pertinentem non ea, qua opus est, diligentia pertractasse. Excusare mihi liceat huius inquisitionis molem per se instituendae atque ab eo, quod mihi propositum est, paullum alienae. Neque enim institui de auctore epistolarum Platonicarum uberius disserere, sed de ratione,

---

1) Progr. Friedrichsw. Gymn. Berl. 1835.

2) De epistol. graec. scriptor. Leipz. 1851—55.

3) Comment. critic. de Plat. q. f. epistol. praecip. III. VII. VIII. Traj. ad Rhen. 1864.

4) Gött. Gel. Anz. 1866. p. 881. — Nuperrime quaestionem tractavit G. Rohrer dissert. Ienens. et progr. Insterburg 1874.

5) Jahrb. f. Philol. 1867.

qua illis Plutarchus usus sit. Accedit, quod, quae in Karsteni argumentatione in universum probanda mihi minus recte videntur disputata esse, ea me tum demum demonstrare posse arbitror, quum satis illustratum erit quae rationes inter Plutarchum et epistolas intercedant. Hoc unum addendum est Plutarcho ne tenuissimam quidem suspicionem motam esse, quin illas epistolas Platonis ipsius iudicaret. Immo vero eas in gravissimis documentis historiae illorum temporum numerat, quod mirum esse nequit, modo consideremus iam Aristophanem Byzantium [1]) germanas eas habuisse.

Alterum scriptorem, quem Plutarchus in hac sola vita secutus est, nisi ex ipso hoc libro fere non cognoscimus. Timonidem Leucadium, Academiae studiosum, bello ad liberandam Siciliam suscepto interfuisse et magna auctoritate in Dionis exercitu floruisse testis est Plut. Dion. capp. 22 et 30. Quae in illo bello gesta erant, ea literis ad Speusippum datis descripsit. Hoc confirmant Plut. cap. 35 et Laert. Diog. IV. 5. Hae literae quin genuinae fuerint, Müllerus F. H. G. II. p. 83 videtur dubitare, sed dubitationis, credo, nulla afferri potest causa nisi una libri forma epistolaris. Quod, quum aliunde ad rem confirmandam nihil peti possit, intellegitur quantuli momenti sit. Plutarchum ipsum illi libro maximam fidem et auctoritatem tribuisse apertissime cognoscitur ex verbis cap. 30: »*Τιμωνίδῃ δὲ μᾶλλον, ὡς οἴομαι, περί γε τούτων πιστευτέον, ἀνδρὶ φίλῳ καὶ συστρατιώτῃ Δίωνος*«. Si quidem de rebus incertissimis coniecturam facere licet, coniiciam illam epistolam a Timonide scriptam esse et ad mercenarios Graecos tamquam solos Siciliae liberatores celebrandos et ad Dionem apud Academicos excusandum cum ob alia tum ob Heraclidis necem. Quod quomodo factum sit ut mihi persuadeam, ex iis, quae post explicaturus sum, apparebit.

Haec de duobus illis fontibus praemittenda esse videbantur. Iam pauca dicenda sunt de iis scriptoribus,

---

1) Laert. Diog. III. 62. Karsten l. l. pp. 15. 16.

quibus praeter Plutarchum rerum Siciliensium, quatenus ad Dionem spectant, notitiam debemus. Neque enim per se quaestio de Plutarchi fontibus instituenda est, quippe quae non prorsus perfici possit nisi ceteris auctoribus eandem rem tractantibus ad comparationem adhibitis.

Atque primum quidem *Diodori Siculi* huc pertinent et nonnulla capp. libr. XIII, XIV, XV et lib. XVI 5—6, 9—13, 16—20, 31. In huius fontes qui inquisivit Volquardsenus [1]) statuit tribuenda esse:

Timaeo:	Ephoro:
XIII. 94. 96. XIV. 44.	XV. 6. 7.
XV. 73—74.	XVI. 5. 6. 9—10, 3.
XVI. 10, 3—13. 16—20.	

Quae si probari possent omnia, haud parvum inde quaestum ad Plutarchi fontes cognoscendos perciperemus. Sed vir doctus, quamquam permulta rectissime disputavit, tamen propter magnitudinem operis suscepti non ita in res singulas videtur intrare potuisse, ut omnia plane perspiceret. Qua re raro ad eius auctoritatem me referam sperans fore, ut Plutarchea hac vita accuratius explicata etiam Diodori nonnulla certius figi et fundari possint.

Cornelium Nepotem, cuius vita X. in Dionis rebus enarrandis versatur, constat in excerpendis scriptoribus magna usum esse negligentia atque incuria et omnia adeo in angustum contraxisse, ut inde natura auctorum difficillima sit cognitu. Quod postremo Volquardsenus l. l. p. 95 de Timaeo Cornelii fonte disseruit, id paullo restrictius videtur statuendum esse. Nam quamquam non infitior Cornelium Timaeo maximam partem niti, tamen non probo, quod Plutarchus ex eodem fonte hausisse dicitur; de qua re postea uberius agendum est.

Maximas *Trogus Pompeius* praebet difficultates. Nam primum multo magis quam ceteri illius aetatis historici diversos fontes in unum coniungere studuit; deinde Iustinus

1) Untersuchg. üb. d. Quell. d. griech. u. sicil. Gesch. Diodors B. XI—XVI. Cf. pot. p. 104 sq.

cum alios tum libr. XXI tam incredibili levitate excerpsit, ut, quum solos verborum speciosos calamistros aucuparetur, res gravissimas plane praetermitteret. Cuius perversi studii luculentissimum exemplum est, quod in toto libr. XXI ne nomina quidem virorum principalium, Dionis et Timoleontis, exstent, quamquam de iis Trogum Pompeium egisse prologus libri testatur. Quae singula in libris *Valerii Maximi, Aeliani, Polyaeni* leguntur, ex iis fere nihil ad quaestionem mihi propositam lucratus sum; itaque rarissime ad eorum testimonia respiciam. Neque *vitae Platonicae* nisi *Laertii Diogenis* neque *Aristidis* et *Themistii* orationes adhibendae esse videbantur, quae tantum abest, ut res obscuriores illustrent, ut omnibus luminibus obstent. Dolendum autem est, quod *Arriani* de Dionis et Timoleontis rebus gestis libellus, qui Photio (cod. 93) cognitus fuit, aetatem non tulit.

Indaganti mihi vestigia auctorum, quos Plutarchus in vita Dionis secutus sit, fructuosissimum videtur libellum omnem in tres partes dividere. Quarum prima exponit ea, quae ante Dionis bellum contra Dionysium paratum gesta sunt, secunda continet belli et discordiarum Syracusis ortarum descriptionem, tertia in Dionis interitus narratione versatur. Circumcluduntur tres partes hisce capitum finibus:

I: capp. (1. 2). 3—21.
II: capp. 22—51. 53.
III: capp. 52. 54—58.

Quum prima duo capita, totius libelli exordium, Plutarcho ipsi tribuenda esse nemo non concedat, statim disseramus de prima parte capp. 3—21. terminis circumscripta.

Quicunque ad ea, quae Plutarchus his capitibus tradit, animum vel paullo attentius advertit, facile intellegit eum in hac quoque narratione ei, quod vitarum scriptoris esse iudicamus, muneri parum satis fecisse. Etenim quum non

id potissimum ageret, ut imaginem clari cuiusdam viri optimis auctoribus comparatis quam maxime ad veritatem fidemque depingeret, sed id, ut legentium animos permoveret et ad honestatem inflammaret, in hac quoque vita multa, quorum explicatione praecipue opus erat, vel plane omisit vel quam levissime tractavit, ea autem, quae ad rem minus pertinebant, iusto copiosius exposuit. En profecto hanc vitae partem perlegentibus non Dio primas partes agere videtur, sed Plato: tam multus est scriptor in illustrandis iis rationibus, quae inter hunc philosophum et Syracusanos intercedebant. Praeterea autem ad narrationem amplificandam et exornandam undique decerpuntur flosculi fabellarum, quae quidem oblectationis illecebris animos capiunt, sed saepe ab eo, quod scriptori propositum sit necesse est, mirum quantum abhorrent.

Testes in hac vitae parte a Plutarcho citantur:

Timaeus: capp. 6. 14.
Plato: capp. 4. 8. 11. 18. 21 (bis).
Timo: cap. 17.

Ex sillographo per se apparet nisi pauca illa verba cap. 17 »σκῶψαι ἀγαθὸν (Σπεύσιππον)« non fluxisse. Hoc igitur primum cognoscimus alias horum capitum partes ad Timaei, alias ad Platonis i. e. epistolographi personati auctoritatem revocandas esse. Quod quasi totius inquisitionis fundamentum est. At, ut hoc iam mihi praemonere liceat, quaerat quispiam, nonne fieri potuerit, ut aut Timaeus epistolas aut epistolographus Timaeum exscripserit, ita ut omnia, quae apud Plutarchum inveniantur, ex uno fonte sive Timaeo sive epistolographo profecta sint. Quum enim exeunte tertio saeculo illas epistolas cognitas esse constet atque Timaeum usque ad medium illud saeculum operi componendo studium navasse, per se sane illud utrumque fieri potuit. Atqui quum in epistolis illis nunquam ad Timaei auctoritatem revocemur, apparet Plutarchum ea, quae ex Timaeo fluxisse dicit, ex epistolis non sumpsisse. Neque vero minimum quidem indicium est, quo manifestum fiat Timaeum Platone usum esse. Contra

ea de sola re, de qua nos quidem duos fontes comparare possumus (Plut. c. 31. Epist. p. 356 C. 357 C.), inter se dissentiunt, de nomine filii Dionis. Hoc quoque pro certo affirmari potest ea, quae ex epistolis pseudoplatonicis in Plutarchum transiere, a Timaei indole prorsus abhorrere, ita ut Plutarchus sua ex uno Timaeo Platonem exscribente deprompsisse negandus sit. Quod quum ita sit, quaeritur quaenam ex Timaeo, quae ex Platone, quae ex aliis fontibus petita sint; accedit alia quaestio eademque in Plutarchi fontium perscrutatione haud levissima utrum Plutarchus ipse auctores illos evolvisse putandus sit necne.

Has quaestiones instituentes magno opere adiuvamur eo, quod fortunam fautricem nacti in eum ipsum libellum, cuius testimonio Plutarchus plerumque nititur, introspicere possumus, in epistolas pseudoplatonicas. Hoc eo maioris momenti est, quo magis ceterorum scriptorum auctoritate destituti sumus; nam rarissima historicorum primariorum fragmenta nobis servata sunt, quae Dionis temporum rationem habent. Ut igitur certius solidiusque fundamentum substruatur, quaestuosissimum videtur ea, quae ex hoc fonte fluxerunt, ita componere, ut his discriminatis et quae aliunde desumpta sint cognosci et simul qua ratione contineantur omnia perspici possit.

Iam afferendi sunt ii loci, ubi Plato ipse citatur:

1) Plut. cap. 4: »(*Δίωνα*) ... *πολὺ δὲ εὐμαθέστατον ἁπάντων τῶν Πλάτωνι συγγεγονότων καὶ ὀξύτατον ὑπακοῦσαι πρὸς ἀρετὴν, ὡς αὐτὸς γέγραφε Πλ.*« Epist. p. 327 A: »*Δίων μὲν γὰρ δὴ μάλ᾽ εὐμαθὴς ὢν πρός τε τἆλλα καὶ πρὸς τοὺς τότε ὑπ᾽ ἐμοῦ λόγους λεγομένους οὕτως ὀξέως ὑπήκουσε καὶ σφόδρα, ὡς οὐδεὶς πώποτε ὧν ἐγὼ προσέτυχον νέων* ....«

2) Plut. c. 8 (et c. 52): »*περὶ ὧν καὶ Πλ.* ...... *ἔγραψε πρὸς αὐτὸν ἐξευλαβεῖσθαι τὴν αὐθάδειαν ὡς ἐρημίᾳ συνοικοῦσαν.*« Epist. p. 321 B: *μὴ οὖν λανθανέτω σε, ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστίν, ἡ δ᾽ αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος.*«

3) Plut. c. 11: »*Πλάτων μὲν οὖν, ὥς φησιν αὐτὸς,*

ἑαυτὸν αἰσχυνθεὶς μάλιστα, μὴ δόξειε λόγος εἶναι μόνον, ἔργου δ' ἑκὼν οὐδενὸς ἂν ἅψασθαι .... ὑπήκουσεν.« Epist. p. 328 C: »... ἀλλ' αἰσχυνόμενος μὲν ἐμαυτὸν τὸ μέγιστον, μὴ δόξαιμί ποτε ἐμαυτῷ παντάπασι λόγοις μόνον ἀτεχνῶς εἶναι τίς, ἔργου δ' οὐδενὸς ἄν ποτε ἑκὼν ἀνθάψασθαι ....«

4) Plut. c, 18: »οὕτω μὲν δή φησιν ὁ Πλάτων ἐλθεῖν τὸ τρίτον εἰς τὸν πορθμὸν τὸν περὶ Σκύλλαν ὄφρ' ἔτι τὴν ὀλοὴν ἀναμετρήσειε Χάρυβδιν.« Epist. p. 345 E: »ἐλθεῖν ἐμὲ τὸ τρίτον εἰς τὸν πορθμὸν τὸν περὶ τὴν Σκύλλαν ὄφρ' ἔτι κ. τ. λ.«

5) Plut. c. 21: Δίων .... πυθόμενος τὸ περὶ τὴν γυναῖκα, περὶ οὗ καὶ Πλάτων ᾐνίξατο γράφων ... πρὸς τὸν τύραννον ἐπιστολὴν τὰ μὲν ἄλλα σαφῶς πᾶσιν, αὐτὸ δὲ τοῦτο μόνῳ γνώριμον ἐκείνῳ, ὡς διαλεχθείη Δίωνι περὶ τοῦ πράγματος ἐκείνου καὶ σφόδρα δῆλος εἴη χαλεπαίνων, εἰ τοῦτο Διονύσιος ἐξεργάσαιτο.« Epist. p. 362 E: »περὶ μέντοι ἐκείνων, ὧν οὐκ εἴας μεμνῆσθαι πρὸς αὐτὸν, οὔτε ἐμνήσθην οὔτε διελέχθην, ἐξεπειρώμην δέ, εἴτε χαλεπῶς εἴτε ῥᾳδίως οἴσει γιγνόμενον, καί μοι δοκεῖ οὐκ ἠρέμα ἂν ἄχθεσθαι εἰ γίγνοιτο.«

In his duobus, quos ultimos attuli, et in nonnullis aliis, quos mox afferam, locis parvam discrepantiam manifestam fieri bene scio. De qua re postea copiosius dicam.

Neque enim his solis, ubi citantur, sed multis quoque et aliis locis ea, quae apud Plutarchum leguntur, ex epistolis Platonicis hausta esse his libris accuratius inter se comparatis apparebit. Conferendi sunt loci:

1) Plut. c. 4: »...... θείᾳ τινὶ τύχῃ Πλάτωνος εἰς Σικελίαν παραβαλόντος κατ' οὐδένα λογισμὸν ἀνθρώπινον. ἀλλὰ δαίμων τις, ὡς ἔοικε, πόῤῥωθεν ἀρχὴν βαλλόμενος Συρακουσίοις καὶ τυραννίδος κατάλυσιν μηχανώμενος ἐκόμισεν ἐξ Ἰταλίας ....« Epist. p. 326 E: ».... εἰς Συρακούσας διεπορεύθην, ἴσως μὲν κατὰ τύχην, ἔοικε μὴν τότε μηχανωμένῳ τινὶ τῶν κρειττόνων ἀρχὴν βαλέσθαι τῶν νῦν γεγονότων πραγμάτων ......«

Hoc a Plutarcho ex epistola desumptum esse ea po-

tissimum de causa persuasum habeo, quod non solum in ipso cap. 4. paullo infra Plato citatur, sed etiam ad circumscribenda verba »τῶν νῦν γεγονότων πραγμάτων«, quibus Plutarchus illo loco uti non poterat, ea usurpantur, quae apud Platonem post ipsum hoc enuntiatum leguntur. Quod fortuito factum esse negem. Cf. enim epist. p. 327 A: »... ὅτι τυραννίδος .... κατάλυσιν ἐσομένην μηχανώμενος ἐλάνθανον ἐμαυτόν.« Hoc quoque commemorem verba »θείᾳ τινὶ τύχῃ« saepius in hac epistola septima inveniri, veluti p. 327 E, 336 E, 337 E. Maxima igitur inter utrumque locum intercedit cognatio.

2) Plut. c. 11: »εὐθὺς οὖν Ἀθήναζε πολλὰ μὲν ἐφοίτα γράμματα παρὰ τοῦ Διονυσίου, πολλαὶ δ' ἐπισκήψεις παρὰ τοῦ Δίωνος, ἄλλαι δ' ἐξ Ἰταλίας παρὰ τῶν Πυθαγορικῶν διακελευομένων παραγενέσθαι καὶ νέας ψυχῆς ἐξουσίᾳ μεγάλῃ καὶ δυνάμει περιφερομένης ἐπιλαβέσθαι καὶ κατασχεῖν ἐμβριθεστέροις λογισμοῖς ...« Epist. p. 327 D: »Δίων ... ἔπεισε Διονύσιον μεταπέμπεσθαι ἐμὲ καὶ αὐτὸς ἐδεῖτο πέμπων ἥκειν ὅ τι τάχιστα .... κ. τ. λ.« Cf. et. p. 316 C: »ἦλθον καλούμενος ὑπὸ σοῦ καὶ Δίωνος.«

Inter causas, quae Platonem moveant, ut in Siciliam veniat, ab utroque scriptore afferuntur tyranni iuventus, discendi studium, opes. Respondent enim sibi:

νέα ψυχὴ	=	νεότης τοῦ Διονυσίου
ἐξουσία μεγάλη καὶ δύναμις	=	ἀρχὴ τῆς Ἰταλίας καὶ Σικελίας
ἔρως ... ὀξὺς καὶ περιμανὴς τῶν λόγων καὶ τῆς συνουσίας τοῦ Πλ.	=	ἐπιθυμία Διονυσίου φιλοσοφίας καὶ παιδείας.

Quae autem dicuntur »πολλαὶ ἐπισκήψεις παρὰ τοῦ Δίωνος«, de iis copiosissime agit epistolographus p. 328. inde a verbis »λέγων δὲ τάδε« usque ad »τὰ μέν πάμπολλα«.

3) Plut. c. 11: »προσδοκήσας δι' ἑνὸς ἀνδρὸς ὥσπερ ἡγεμονικοῦ μέρους ἐκκαθαρθέντος ὅλην ἰατρεύσειν Σικελίαν νοσοῦσαν«. Epist. p. 328 C: »... εἴ ποτε τὰ διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας ἀποτελεῖν ἐγχειρήσοι, καὶ νῦν πειρατέον εἶναι· πείσας γὰρ ἕνα μόνον ἱκανῶς πάντα ἐξειργασμένος ἐσοίμην ἀγαθά.«

4) Plut. c. 15: »ἡ δὲ πόλις τῶν Συρακουσίων ἐπῆρτο πράγματα νεώτερα καὶ μεταβολὴν προςδεχομένη ταχεῖαν ἐκ τοῦ περὶ Δίωνα θορύβου καὶ τῆς πρὸς τὸν τύραννον ἀπιστίας τῶν ἄλλων· ἃ δὴ συνορῶν ὁ Διονύσιος καὶ δεδοικὼς τοὺς μὲν φίλους παρεμυθεῖτο καὶ τὰς γυναῖκας ὡς οὐ φυγῆς, ἀλλ' ἀποδημίας τῷ Δίωνι γεγενημένης [1]).« Epist. p. 329 D: ».... ὁ δ' αἰσθανόμενος πάντας ἡμᾶς οὕτω διατεθέντας φοβούμενος, μὴ μεῖζον ἐκ τῶν φόβων γένοιτό τι, φιλοφρόνως πάντας ἀνελάμβανε καὶ δὴ καὶ ἐμὲ παρεμυθεῖτο ....« p. 338 A: »... μὴ φυγὴν αὑτῷ γεγονέναι τότε, μετάστασιν δέ ....« p. 346 B: »... μὴ ὡς φυγάδα δὲ, ἀλλ' ὡς αὑτῷ καὶ δεῦρο ἐξὸν ἀποδημεῖν.«

5) Plut. c. 16: »Πλάτωνα δὲ Διονύσιος εὐθὺς μὲν εἰς τὴν ἀκρόπολιν μετέστησεν, ἔντιμον αὑτῷ σχήματι ξενίας φιλανθρώπου φρουρὰν μηχανησάμενος, ὡς μὴ συμπλέοι Δίωνι μάρτυς ὢν ἠδίκητο.« Epist. p. 315 E: »ἄδην γὰρ ὑπὸ Φιλιστίδου καὶ ἄλλων πολλῶν πρὸς τοὺς μισθοφόρους διεβλήθην διὰ τὸ μένειν ἐν τῇ ἀκροπόλει, τοὺς δὲ ἔξωθεν ....« p. 329 D: »ἐγίγνετο γάρ οἱ τὸ μὲν ἐμὲ φεύγειν ἀπ' αὐτοῦ καλὸν οὐδὲν, τὸ δὲ μένειν ...... ὃ δὴ μηχανώμενος διεκώλυέ μου τὸν ἔκπλουν εἰς ἀκρόπολιν ἀγαγὼν καὶ κατοικίσας ....«

6) Plut. c. 16: »χρόνῳ δὲ καὶ .... ἠράσθη τυραννικὸν ἔρωτα ..‖..... μόνος ἀξιῶν ὑπὸ Πλάτωνος ἀντερᾶσθαι καὶ θαυμάζεσθαι μάλιστα πάντων ..... μὴ προτιμῶντι τὴν πρὸς Δίωνα φιλίαν τῆς πρὸς αὐτὸν ...‖.... αἰδουμένου δὲ τοὺς ἀποτρέποντας ὡς διαφθαρησομένου ..« Epist. p. 330 A: »... ὡς Πλάτωνα Διονύσιος θαυμαστῶς ὡς ἀσπάζεται ... ἠσπάζετο γὰρ ἀεὶ προϊόντος τοῦ χρόνου μᾶλλον κατὰ τὴν τοῦ τρόπου τε καὶ ἤθους συνουσίαν ....‖.... ἑαυτὸν δὲ ἐπαινεῖν μᾶλλον ἢ Δίωνα ἐβούλετο ἐμὲ καὶ φίλον ἡγεῖσθαι διαφερόντως μᾶλλον ἢ 'κεῖνον καὶ θαυμαστῶς ἐφιλονείκει πρὸς τὸ τοιοῦτον .‖.... φοβούμενος τοὺς τῶν διαβαλλόντων λόγους, μὴ παραποδισθείη καὶ Δίων πάντα εἴη διαπεπραγμένος .... Cf. etiam p. 349 C.

---

1) Similiter etiam Cornelius; sed multo maior est cognatio inter Plutarchum et Platonem.

7) Plut. c. 16: »ἐν τούτῳ δὲ πολέμου τινὸς ἐμπεσόντος ἀποπέμπει τὸν Πλάτωνα συνθέμενος εἰς ὥραν ἔτους μεταπέμψασθαι Δίωνα ..... αὐτῷ ἀξιῶν Πλάτωνα συγγνῶναι περὶ τοῦ χρόνου διὰ τὸν πόλεμον· εἰρήνης γὰρ γενομένης τάχιστα μεταπέμψεσθαι τὸν Δίωνα ...... Epist. p. 338 A: »τὸ μετ᾽ ἐκεῖνα δ᾽ οὖν ἔπεισα .... Διονύσιον ἀφεῖναί με, εἰρήνης δὲ γενομένης, ἦν γὰρ τότε πόλεμος ἐν Σικελίᾳ, ξυνωμολογήσαμεν ἀμφότεροι. Διονύσιος μὲν ἔφη μεταπέμψεσθαι Δίωνα καὶ ἐμὲ πάλιν ..... γενομένης δ᾽ εἰρήνης μετεπέμπετ᾽ ἐμὲ, Δίωνα δ᾽ ἐπισχεῖν ἔτι ἐνιαυτὸν ἐδεῖτο ...« Cf. etiam p. 317 A.

8) Plut. c. 16: »τὰς προσόδους τῶν κτημάτων ἀπέπεμπεν ..« Epist. p. 345 C: »... ἐν τῷ πρόσθεν Δίωνα ἐῶν τὰ ἑαυτοῦ κεκτῆσθαι καὶ καρποῦσθαι χρήματα ....«

9) Plut. c. 18: »χρόνου δὲ προϊόντος ὁ Διονύσιος ζηλοτυπῶν καὶ δεδοικὼς τοῦ Δίωνος τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὔνοιαν .. παρέδωκεν ἰδίοις ἐπιτρόποις ..« Epist. p. 345 C: »τότε οὐκέτ᾽ εἴα τοὺς ἐπιτρόπους πέμπειν εἰς Πελοπόννησον ...« Cf. etiam p. 317 E. 346 C.

10) Plut. c. 18: »βουλόμενος δὲ καὶ τὴν εἰς τοὺς φιλοσόφους κακοδοξίαν ἀναμάχεσθαι πολλοὺς συνῆγε τῶν πεπαιδεῦσθαι δοκούντων· φιλοτιμούμενος δὲ τῷ διαλέγεσθαι περιεῖναι πάντων ἠναγκάζετο τοῖς Πλάτωνος παρακούσμασι κακῶς χρῆσθαι· καὶ πάλιν ἐκεῖνον ἐπόθει καὶ κατεγίγνωσκεν αὐτὸς αὑτοῦ μὴ χρησάμενος παρόντι μηδὲ διακούσας ὅσα καλῶς εἶχεν ....« Epist. p. 338 C: »...... ἄλλοι τέ τινες ἐν Συρακούσαις ἦσαν .... παρακουσμάτων τινῶν ἔμμεστοι τῶν κατὰ φιλοσοφίαν, οἳ δοκοῦσί μοι Διονυσίῳ πειρᾶσθαι διαλέγεσθαι τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα ὡς Διονυσίου πάντα διακηκοότος ὅσα διενοούμην ἐγώ· ὁ δὲ .... φιλότιμός τε θαυμαστῶς· ἤρεσκέ τε οὖν ἴσως αὐτῷ τὰ λεγόμενα, ᾐσχύνετό τε φανερὸς γιγνόμενος οὐδὲν ἀκηκοὼς, ὅτε ἐπεδήμουν ἐγώ ......«

11) Plut. c. 18: »δι᾽ ἐκείνου γὰρ αὐτοῖς ἐγεγόνει φιλία καὶ ξενία τὸ πρῶτον.« Epist. p. 338 C: »ἐγὼ πρὶν ἀπιέναι ξενίαν καὶ φιλίαν Ἀρχύτῃ καὶ τοῖς ἐν Τάραντι καὶ Διονυσίῳ ποίησας ....«

12) Plut. c. 18: »οἱ δὲ (sc. *Πυθαγορικοί*) ἔπεμψαν Ἀρχέδημον πρὸς αὐτόν· ἔπεμψε δὲ καὶ Διονύσιος τριήρη καὶ φίλους ..... αὐτὸς δὲ σαφῶς καὶ διαῤῥήδην ἔγραψεν, ὡς οὐδὲν ἂν γένοιτο τῶν μετρίων Δίωνι μὴ πεισθέντος Πλάτωνος, πεισθέντος δὲ πάντα ....« Epist. p. 339 A: »ἔπεμψε ... Διονύσιος ... ἐπ' ἐμὲ τριήρη ... ἔπεμψε δ' Ἀρχίδημον ... καὶ ἄλλους γνωρίμους τῶν ἐν Σικελίᾳ ... ἔπεμψε δ' ἐπιστολὴν ...... ἂν εἰς Σικελίαν πεισθεὶς ὑφ' ἡμῶν ἔλθῃς τὰ νῦν, πρῶτον μέν σοι τὰ περὶ Δίωνα ὑπάρξει ...... οἶδ' ὅτι τὰ μέτρια .... εἰ δὲ μή, οὐδέν σοι τῶν περὶ Δίωνα ἕξει πραγμάτων ...... γιγνόμενον.« Cf. etiam p. 317 B.

13) Plut. c. 19: »μετὰ δὲ τὰς πρώτας φιλοφροσύνας ἀρξαμένου Πλάτωνος ἐντυγχάνειν περὶ Δίωνος ὑπερθέσεις τὸ πρῶτον ἦσαν, εἶτα μέμψεις καὶ διαφοραὶ λανθάνουσαι τοὺς ἐκτὸς ἐπικρυπτομένου τοῦ Διονυσίου .... Πλάτωνα .... οὐδ' αὐτὸν ἔν γε τοῖς πρώτοις χρόνοις ἀποκαλύπτοντα τὴν ἀπιστίαν καὶ ψευδολογίαν, ἀλλ' ἐγκαρτεροῦντα καὶ σχηματιζόμενον ....« Haec a Plutarcho breviter et concise narrata fuse et copiose exponuntur in Epist. p. 345 E — 347 D, quem totum locum exscribere molestum est.

14) Plut. c. 19: ».... τὸν Πλάτωνα θεραπείαις καὶ τιμαῖς πειρωμένου παράγειν ἀπὸ τῆς τοῦ Δίωνος εὐνοίας ..« Epist. p. 333 D: »... πείθοντος δὲ Διονυσίου τιμαῖς καὶ χρήμασι γενέσθαι μετ' αὐτοῦ ἐμὲ μάρτυρά τε καὶ φίλον πρὸς τὴν εὐπρέπειαν τῆς ἐκβολῆς τῆς Δίωνος κ. τ. λ.»

15) Plut. c. 19: »οὕτω δὲ διακειμένων πρὸς ἀλλήλους καὶ λανθάνειν πάντας οἰομένων ..« Epist. p. 348 A: »ὅμως δ' ἔφαμεν ἑταῖροί γε εἶναι πρὸς πᾶσαν Σικελίαν ..«

16) Plut. c. 19: »τέλος δὲ τὴν μὲν οὐσίαν τοῦ Δίωνος ἐπώλει καὶ τὰ χρήματα κατεῖχε, Πλάτωνα δ' ἐν τῷ περὶ τὴν οἰκίαν κήπῳ διαιτώμενον εἰς τοὺς μισθοφόρους μετέστησε πάλαι μισοῦντας αὐτὸν καὶ ζητοῦντας ἀνελεῖν ὡς πείθοντα Διονύσιον ἀφεῖναι τὴν τυραννίδα καὶ ζῆν ἀδορυφόρητον.« Epist. p. 347 E: »... πάνυ νεανικῶς ἐπώλει τὴν οὐσίαν αὐτοῦ πᾶσαν ..« p. 347 A: »... ᾤκουν ... ἐν τῷ κήπῳ τῷ περὶ τὴν οἰκίαν.« p. 350 A: »ᾤκουν δὴ

μετὰ τοῦτο ἔξω τῆς ἀκροπόλεως ἐν τοῖς μισθοφόροις .... ὅτι διαβεβλημένος εἴην ἐν τοῖς πελτασταῖς καί μοί τινες ἀπειλοῖεν, εἴ που λήψονταί με, διαφθερεῖν.«

17) Plut. c. 20: »*.... οἱ περὶ Ἀρχύταν πυθόμενοι ταχὺ πέμπουσι πρεσβείαν καὶ τριακόντορον ἀπαιτοῦντες τὸν ἄνδρα παρὰ Διονυσίου ...*« Epist. p. 350 A: *πέμπω παρ' Ἀρχύτην καὶ τοὺς ἄλλους φίλους εἰς Τάραντα ..... οἱ δὲ πρόφασίν τινα πρεσβείας πορισάμενοι παρὰ τῆς πόλεως πέμπουσι τριακόντορόν τε καὶ Λαμίσκον αὐτῶν ἕνα, ὃς ἐλθὼν ἐδεῖτο Διονυσίου κ. τ. λ.*«

18) Plut. c. 22: »*ὁ δὲ Δίων ἐντεῦθεν τρέπεται πρὸς πόλεμον αὐτοῦ μὲν Πλάτωνος ἐκποδὼν ἱσταμένου δι' αἰδῶ τῆς πρὸς Διονύσιον ξενίας καὶ γῆρας .....*« Epist. p. 350 C: »*.... ἐμὲ δ' εἶπον ὅτι σὺ μετὰ τῶν ἄλλων βίᾳ τινὰ τρόπον σύσσιτον καὶ συνέστιον καὶ κοινωνὸν ἱερῶν Διονυσίῳ ἐποίησας .... οὔτ' οὖν ἡλικίαν ἔχω συμπολεμεῖν*« [1]).

Haec nunc sufficiant. Sane et alia multa vestigia Platonis in hoc libro inveniemus minus aperte expressa, quae priusquam indagemus, satius videtur explicare quid ex hac, quam fecimus, collatione possit effici. Permulta apparet ex epistolis in Plutarchum transiisse neque solum in rebus magnum esse consensum, verum etiam saepissime eadem verba usurpari.

Sed quum pateat uberrimum fontem epistolas Platonicas Plutarcho fuisse, alia illa nascitur quaestio eademque gravissima. Inter omnes enim constat veteres rerum scriptores, qui tam multos tamque diversos libros confecerunt, quam Plutarchus, saepissime non ipsos auctores primarios evolvisse et comparasse, sed eos in deliciis habuisse secundarios, qui dicuntur, apud quos materiam copiosissimam iam undique congestam et coacervatam invenirent et sine ullo negotio sibi vindicare possent. Ut

1) Hoc Platonis repugnat quodammodo cum epist. p. 320 A (IV), quod is, qui epistolas excerpsit, non vidit. Cf. Grote: History of Greece. IX. p. 116 annot. 2.

autem speciem multae doctrinae summaeque diligentiae prae se ferrent, quo magis ex tali, qualem significavimus, scriptore sua spoliando sumebant, eo minus hunc ipsum testem citabant. Contra ea saepissime fit, ut eos auctores, ad quorum testimonium se referunt, nequaquam ipsos in manibus habuerint, sed quaecunque ex iis videntur petiisse, ex illo exscripserint, quem nominare prorsus supersedent. Itaque quum astute et consulto, quo ex scriptore praecipuo doctrinam suam mutuati sint reticere, eos autem afferre soleant fontes primarios, ad quos neutiquam descenderunt, nunquam, si quis auctor apud huius generis historicum citatur, inde continuo consectarium est illum revera huic praesto fuisse Quod quia non recte intellexerunt, omnes, qui prioribus temporibus historicorum fontibus indagandis operam dederunt, in magnos errores inducti sunt.

Itaque hic quoque quaestio est, ut credo, haud futilis utrum Plutarchus illas epistolas inspexerit ipse an, quae ex illis affert, ea aliunde sumpserit. Equidem mihi persuasum est Plutarchum epistolis Platonicis ipsis usum non esse, sed librum aliquem in manu habuisse, in quo illae iam cum alio fonte coniunctae erant. Tale quidquam a Plutarchi consuetudine non abhorrere quicunque vel paullulum in eius rationem conscribendorum librorum inquisivit non negat.

At firmis argumentis disputandum est. Occurram igitur primum iis, quae contra dici possint. Dixerit enim quispiam vel ex eo, quod Plutarchus in hac Dionis vita novies [1] i. e. consuetudine saepius ad Platonis auctoritatem se revocaverit, intellegi posse eum epistolas ipsas evolvisse. Sed, ut iam dixi, tantum abest, ut huius generis historici fontem suum primarium et praecipuum saepe nominent, ut, si quis auctor opinione crebrius citatur, vel inde iusta subnascatur suspicio ipsum evolutum non esse. Neque vero arbitror id esse magni momenti, si quis obiiciat Plutar-

1) Cf. capp. 4. 8. 11. 18. 21 (bis). 52 (bis). 54.

chum alias quoque ostendere se epistolas Platonicas cognitas habere. Nam, nisi fallor, praeter ea, quae in hac Dionis vita inveniuntur, semel tantum in vita Coriolani et quinquies in scriptis moralibus, quae dicuntur, ad eas se refert. Atque id, quod in his sex locis exstat, magis confirmat opinionem nostram, quam infirmat. Exhibentur enim nihil nisi duo Platonis dicta, quorum unum bis quoque in Dione (c. 8 et 52) affertur. Cf. enim Coriol. c. 15: ».. *τὴν ἐρημίᾳ ξύνοικον, ὡς Πλάτων ἔλεγεν, αὐθάδειαν.*« de adulat. et amic. c. 29: »... *παρακελευομένου φυλάττεσθαι καὶ δεδιέναι τὴν αὐθάδειαν ὡς ἐρημίᾳ ξύνοικον.*« praec. rei publ. ger. c. 13: »*ἡ δ' αὐθάδεια, φησὶν ὁ Πλάτων, ἐρημίᾳ σύνοικος.*« de tranq. an. c. 16: »... *ἄνθρωπον ὄντα, φύσει εὐμετάβολον ζῷον, ὡς καὶ Πλάτων εἶπεν.*« de cohib. ira c. 16: »... *οὕτως ἐπαινεῖν φησιν, ὡς φύσει εὐμετάβολον ζῷον.*« de vitios. pud. c. 11: »... *εἶτα προςέγραψε τῇ ἐπιστολῇ τελευτώσῃ· γράφω δέ σοι ταῦτα περὶ ἀνθρώπου ζῴου φύσει εὐμεταβόλου.*«

Atque Plutarchum, ut haec dicta afferret, non ipsas epistolas consuluisse confirmabitur, quum ultimum, quem adscripsi, locum comparaveris cum ipsis epist. XIII sub init. verbis. (p. 360 C. D) »... *δεδιὼς δὲ λέγω ταῦτα ὅτι ὑπὲρ ἀνθρώπου δόξαν ἀποφαίνομαι, οὐ φαύλου ζῴου, ἀλλ' εὐμεταβόλου ....*«

Per se igitur nihil obstat, quominus opinemur Plutarchum epistolas illas non versasse. Atqui in iis ipsis capitibus, quae artissima necessitudine cum Platonicis contineri vidimus, haud pauca esse, quae inde repeti nequeant, primo obtutu cognoscitur. Fit enim, ut nonnulla vel iis, quae in epistolis leguntur, plane repugnent, vel omnino illic non inveniantur.

1) Quum enim primum epistolographus et Plutarchus in eo consentiant, ut Platonem a Dionysio minore vocatum in Siciliam venisse tradant, tamen apud illum nihil exstat *multas* epistolas ad Platonem a Dionysio ante secundum eius iter scriptas esse. An putas id ex verbis »*ἦλθον καλούμενος ὑπὸ σοῦ*« vel »*Δίων ἔπεισε Διονύσιον μεταπέμπεσθαι ἐμὲ*« statim efficiendum esse? At non unicum hoc

differentiae esse exemplum iam, qui sequitur, locus testatur. Pythagorei enim ad Platonem literas scripsisse eumque adhortati esse, ut Dionysium ad philosophandum inflammatum sibi adiungeret, ab epistolographo non commemorantur. Coniiceres hic Plutarchum ipsum in parvum errorem incidisse ea, quae ad tertium iter pertinebant, ad secundum transferentem. Legimus enim de iis rebus, quae tertium iter praecedebant, epist. p. 317 B: ».... ὅσαι τότε ἐπιστολαὶ παρὰ σοῦ καὶ παρ᾽ ἄλλων ἦλθον διὰ σὲ ἐξ Ἰταλίας καὶ Σικελίας ...« et p. 339 D: ».... ἐπιστολαὶ δὲ ἄλλαι ἐφοίτων παρά τε Ἀρχύτου καὶ τῶν ἐν Τάραντι ...« In Plut. c. 18, ubi de hac re agitur, de epistolis Pythagoreorum nihil dicitur; verbis tamen »ἐπιστολαὶ ἐφοίτων« respondet in c. 11: »γράμματα ἐφοίτα.«

Sane haec futilia non essent, sed quia saepius apparet apud Plutarchum vel addi aliquid ad epistolarum narrationem vel paullo variari ab ea, multo verisimilior hic quoque ea est causa, quam supra exposui. Adde quod etiam Aelianus v. h. IV. 8, qui sua quippe Plutarcheis multo copiosiora ex Chaeronensi non hausit, de illis multis epistolis dicit, qua re hoc quidem cognoscitur Plutarchum rem neque invenisse neque confudisse.

2) In cap. 16 quoque sunt, quae epistolarum auctoritatem respuant. Nam quum in utroque libro convenienter Dionysius tradatur Platonis et philosophiam et consuetudinem in dies magis adamasse, Dionis amicitiae invidisse, veritum esse calumnias aulicorum, ita ut de arto utriusque narrationis contextu dnbitari nequeat, verba »ἕτοιμος ὢν ἐπιτρέπειν τὰ πράγματα καὶ τὴν τυραννίδα [1])« ex epistolis petita esse non possunt. Etiam »καθάπερ ψαύειν ἀνθρώπου θηρίον« et maximam partem »ἦν οὖν τῷ Πλάτωνι συμφορὰ .... σπουδάζοντος μὲν ὑπερφυῶς« in epistolis desiderantur; sed hoc haud magni ponderis, maioris est illud, quod secundum epistolas (p. 315 D, 319 C) Plato Dionysio suasit »βασιλείαν ἀντὶ τυραννίδος μεταστῆσαι«, non

1) Cf. etiam c. 19 fin.

suasit »τὰ πράγματα καὶ τὴν τυραννίδα ἐπιτρέπειν«. Minime hoc ita accipiendum est, ut Plutarchum ornatius quam verius rem narrasse putemus [1]), sed ita tantum, ut hic alius fontis vestigia recognoscamus. Hoc eo stabilitur, quod etiam apud Cornelium c. 3, 3 legimus »... ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis«.

3) Deinde Plut. c. 16 fin. cum epist. p. 338 A et 317 A valde congruit et rem vel iisdem verbis exprimit. Etiam hoc utrique commune est, quod de bello aliquo in universum tantum est sermo, quum nobis difficile sit diiudicatu contra quosnam Dionysius arma moverit [2]). Neque tamen prorsus consentiunt. Epistolis enim traditur convenisse inter Platonem et Dionysium, ut Dio bello finito Syracusas rediret, pace autem constituta tyrannum postulasse, ut Dio etiamtum per anni spatium in Graecia maneret. Plutarchus vero narrat Dionysium primum promisisse philosopho se Dionem »εἰς ὥραν ἔτους« revocaturum esse, dein autem bello excusato affirmasse pace facta se illum in patriam esse restiturum. Quod autem in fine cap. 16 legitur »ἀξιοῦν αὐτὸν ἡσυχίαν ἄγειν καὶ μηδὲν νεωτερίζειν μηδὲ βλασφημεῖν κατ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας«, id alludit quidem ad epist. p. 346 B: »ταῦτα δ' εἶναι μὴ ἐπιβουλεύοντος ἐμοί«, sed illud Platoni absenti Dionysius scripsisse, hoc dixisse praesenti fertur.

4) Veniamus ad cap. 18, quod quam magnam similitudinem cum locis Platonicis prae se ferat iis, quae supra collata sunt, satis demonstratur. At Plutarchus, quum in eo congruat cum epistolographo, quod item Dionysium primo quidem Dioni bonorum reditus misisse, deinde autem retinuisse narrat, abhorret ab illo, quod haec ante tertium Platonis iter facta esse tradit. Nam

---

1) Cf. Laar: observat. crit. in Plut. Dion. dissert. Lugd. Bat. 1851. p. 31.

2) Cf. Diod. Sic. XVI. 5. Laar. p. 32. Grote: H. of Gr. XI. p. 111.

ex epist. p. 345 C efficiendum est haec post Platonis adventum accidisse.

5) Deinde in epistolis legitur a Dionysio ipso Archidemum missum esse, qui Platonem accerseret, apud Plutarchum autem accuratius exstat Dionysium persuasisse Pythagoreis, ut philosophum invitarent, hosque Archidemum legasse. Hoc si parvi momenti videatur, gravius est, quod in epistolis nihil dicuntur Pythagorei »τῶν ὁμολογουμένων ἀνάδοχοι« facti esse. Nam quae pactio sponsoribus datis inita commemoratur pag. 346 B, ea ad plane aliud aliquid, non ad Platonis securitatem spectat.

6) Porro cap. 18 fin. legimus venisse ad Dionem »πολλὰς ἐπισκήψεις παρὰ τῆς ἀδελφῆς καὶ γυναικός«. Ne id quidem ex epistolis sumptum est. Cf. p. 317 B. Neque vero Plutarchus sibi ipse finxit inter illas multas epistolas etiam mulierum fuisse, quod inde patet, quia in hac vita omnino Aristomachae et Aretae magnae partes imponuntur. Cf. etiam c. 15. 19. 51. 56.

7) Forsitan id afferatur, quod in cap. 19 cum iis, quae ex epistolis manaverunt, artissime connectuntur narratiunculae quaedam de Helicone et Aristippo. Sed id ad hanc quaestionem solvendam parum confert, quum talia dicteria undique collecta in libros ingerere Plutarchum ipsum valde iuvet. Contra ea apud Plut. c. 20 non exstat, quod ex epistolis cognoscimus, Platonem ipsum Pythagoreos certiores fecisse de periculo sibi imminente, iterum tamen illud invenitur Pythagoreos pro salute Platonis fidem interposuisse. Haec non ab ingenio Plutarcheo excogitata, sed ex scriptore quodam petita esse, mirum in modum confirmatur ipsius Plutarchi verbis. Laarius enim p. 38 nos monet eum capp. 18 et 20 rarissimo verbo »ἀνάδοχος« uti pro proprio »ἐγγυητής« atque eodem sensu verbum »ἀναδέχεσθαι« usurpari in epistola Archytae ad Dionysium data de dimittendo Platone [1].

---

1) Cf. Laert. Diog. III. 22.

Unde quid concludere licet? Minime hoc, credo, Plutarchum ipsas Archytae epistolas inspexisse, at certe eum scriptore usum esse, cuius liber necessitudine quadam cum illis literis continebatur. Qua re cognita num certius quidquam de Plutarchi auctoribus enucleari possit iam ne videamus; nunc sufficiat demonstrasse in Plutarchi narratione praeter epistolas Platonicas etiam alium fontem indagatum esse et ea, quae ex hoc se profuderunt, iis, quae illinc petita sunt, non modo adiuncta, sed fere iniuncta esse.

8) Cap. 20 fin. Plutarchus ipse disertis verbis dicit se alium fontem secutum esse: »*οὐ μέντοι τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ πάνυ τούτοις συνᾴδει*«. Quod num quidquam ad id, quod demonstrare volumus, conferat dubitari possit; suspicio non abest, quin Plutarchus ipse ab auctore suo hac de causa se alienaverit, ut ad legentium animos delectatione quadam perfundendos hoc Platonis salse dictum inserat [1]).

9) Denique cap. 21 quae copiose de Dionis uxore Timocrati nubere coacta narrantur, aliunde petita sunt; etiam inter verba »*ὡς διαλεχθείη Δίωνι περὶ τοῦ πράγματος ἐκείνου*« et epist. 362 E: »*περὶ μέντοι ἐκείνων ..... οὔτε ἐμνήσθην οὔτε διελέχθην*« discrimen videtur statuendum esse.

Sed, utut haec res se habet, exemplis allatis hoc luculenter demonstrari puto et multa ex epistolis Platonicis in Plutarchi narrationem transfusa esse et multa ad haec affluxisse, quae illic vel non exstant vel variantur. Apparet autem has res diversis e fontibus profectas adeo inter se nexas et aptas esse, ut singulis partibus proxime inter se cohaerentibus tota narratio concinne convenienterque profluens quasi totum aliquid efficere videatur. Et profecto nisi fortunae beneficio contingeret, ut illas epistolas legere et cum Plutarchi verbis comparare possemus, quisnam negaret capp. 11. 16. 18 ex uno fonte primario

1) Hoc idem Dionysio maiori Platonem scripsisse tradit Laert. Diog. III. 14.

deducta esse? Atqui quae ex compluribus auctoribus sumuntur, ea hoc modo conflare, ut in unum quasi corpus solidum redigantur nullis coagmenti vestigiis perspicuis, Plutarchi non esse omnibus, quae adhuc de eius ratione vitarum describendarum scimus, tam manifestum fit, ut sine ulla dubitatione pro certo affirmari possit.

Quae quum ita sint, si quidem omnino recte ratiocinatus sum, temerarium non est profiteri Plutarchum ex ipsis epistolis pseudoplatonicis non hausisse, sed ea, quae vel ex iis citat vel congruenter cum iis narrat, auctori cuidam debere, apud quem et haec et alia illa cum his apte coniuncta invenerit.

Huic igitur auctori omnes tribuendae sunt eae, de quibus adhuc disseruimus, partes cap. 4. 8. 11. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22.

Quaeris quisnam hic auctor fuerit? A nescio quaeris. De nomine plane desperavi, spero tamen me genus scriptorum, cui hic adnumerandus est, cum aliqua probabilitate notare posse. Neminem enim fugere potest omnia, quae in his capitibus exposita sunt, ad id potissimum spectare, ut quamnam vim Plato et philosophi in Dionis et Dionysii animos movendos resque Siciliae moderandas habuerint aperte cognoscatur. Quam paucissima de rebus a Dione et Dionysio vel bello vel pace gestis dicuntur, copiosissime de Dionis et — id quod in hac vita minus curamus — Dionysii studiis agitur philosophicis. Hoc vero non tam historici videtur proprium esse, quam philosophi, praesertim eius, qui sive ex ipsa Academia profectus sive cum ea vinculis quibusdam coniunctissimus res Platonis illustrare et celebrare studet. Hanc opinionem cap. 17 paullo magis stabiliat. Quod caput cum omnibus, quae adhuc tractavimus, prorsus congruere nemo neget: interpositum inter capp. 16 et 18, quod utrumque ex eodem fonte manavit, cum utroque cohaeret. Nam capitis initium »ταῦτα ἐπειρᾶτο ποιεῖν Πλάτων« eodem modo convenienter ad cap. 16 finem se annectit, quo in epist. p. 338 B: »ἐγὼ δ' ἥξειν ὡμολόγησα ἐπὶ τούτοις τοῖς λόγοις« ad antecedentia

accedunt, et verba cap. 18 init. »χρόνου δὲ προϊόντος ὁ Διονύσιος ζηλοτυπῶν καὶ δεδοικὼς τοῦ Δίωνος τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὔνοιαν« appropinquant ad cap. 17 s. f. ἐφ᾽ οἷς εὔνοια παρὰ πάντων ἐγίνετο καὶ ζῆλος αὐτῷ τιμαί τε δημόσιαι καὶ ψηφίσματα παρὰ τῶν πόλεων.« Nam narratiunculae de Ptoiodoro Megarensi hunc contextum paullum perturbantis ratio nulla habenda est, quum, ut vel verbum »λέγεται« significat, a Plutarcho ipso ex fonte fabuloso nescio quo inserta sit.

Atqui a Cornelio et Diodoro memoriae traditum est Dionem e Sicilia depulsum se contulisse Corinthum et ibi bellum ad liberandam patriam ineundum praeparasse. Cf. Nep. 4, 1 et 5, 1 et Diod. XVI. 6 fin. Etiam in epist. p. 318 A legimus »τὰ μὲν ἡμίσεα ἀποπέμψειν εἰς Κόρινθον« et p. 345 C: »πέμπειν εἰς Πελοππόνησον (sc. τὰ χρήματα)« et p. 346 B: »(τὸν Δίωνα) οἰκεῖν ἐν Πελοποννήσῳ«. Urbis Athenarum mentio quidem fit hoc ultimo loco, sed non agitur nisi de pecuniarum depositione. Contra ea Plutarchus eam urbem, in qua plurimum temporis Dio commoratus sit, notat Athenas atque quod ille cum Platone et Academia commercium habuerit accurate verboseque narrat. Ne in earum quidem urbium numero, quas praeter Athenas et obiter Dio adiisse traditur, Corinthus commemoratur.

Cuius rei causa non potest repeti ex Plutarchi ipsius studio et ira. Nam non solum Corinthi mentionem facit in alia vitae Dionis parte [1]), sed etiam in vita Timoleontis cap. 2. quam effusissimis laudibus urbem ornat. Quem ad modum autem in hoc Timoleontis loco Corinthi gloriam praedicat, quia is, quem exscripsit — sine dubio Timaeus — hoc facit, ita in hoc Dionis cap. 17. urbem silentio obruit ea videlicet de causa, quod auctoris sui pedisequus est. Neque vero non sapit philosophum, quod inter virtutes Dionis eae potissimum laudantur, quae ex philosophia comparatae sunt, et honorum, qui Dioni a Graecis tribuuntur,

1) cap. 52, ubi eum ex Timonide hausisse postea demonstrabimus.

fere omnium una causa ex eius studio sapientiae et iucunditate consuetudinis deducitur. Quid? quod vel amplissimi illi et rarissimi honores, quos Lacedaemonii ei habuerunt civitatem donantes, contra omnem probabilitatem [1]) non ex politicis rationibus repetuntur, sed ex Dionis moribus honestis et amabilibus. Haec omnia, si probantur, satis demonstrant cuius indolis Plutarchi auctor fuerit.

Quis autem fuerit non video unde cognoscam: unius brevitatis causa et ne molestis circumscriptionibus uti cogar, liceat mihi huic nomen imponere *Academici*. Ansam quandam nominis cognoscendi, ut opinor, praeberet Laertius Diogenes, si ex quonam scriptore illa de Platonis itineribus Siculis narratio (III. 14—16.) manavisset investigari posset. Supra enim exposuimus Plutarchi verba capp. 18 et 20 quodammodo repetenda esse ex Archytae epistola a Laertio servata. Sed primum quidem, quantum video, non potest diiudicari utrum haec epistola ex collectione quadam epistolarum in narrationis contextum a Laertio ipso inserta sit an ex eo auctore transscripta, cui etiam antecedentia debemus. Quod si esset, ne inde quidem quidquam lucraremur. Nam quum alias Laertius Diogenes magna simulata doctrina abundantissime auctorum nomina afferre soleat, valde dolendum est, quod in hac libr. III. parte id praeter consuetudinem plane omisit. Nominat enim §. 14. solum Favorinum. Sed eum ex Favorino excerpsisse tantummodo particulas quasdam ad id, quod ex fonte primario sumpserat, exornandi causa addendas Nietzschius probavit Mus. Rhen. XXIII. p. 654. XXIV. p. 201. Progr. Basel. 1870. p. 11 [2]). Itaque hoc quoque loco quidquam ad Favorinum redire negaverim nisi id, quod de Aeginetarum psephismate et de extremis Pollidis fatis dicitur. Unde autem cetera sumpta sint non liquet. Nam prout hic auctoris nomen afferat, veluti alias

---

1) Cf. Grote H. of Gr. XI. p. 85. annot. 1.

2) Cum Nietzschio consentit Bahnsch. quaest. de Laert. Diog. font. init., quem librum doleo me non potuisse inspicere.

Hermippi, Neanthis, Satyri, in universum dicit »ἔνιοί φασι«. Cf. §. 19: »ἔνιοι δέ φασι παραχθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ....« §. 20: »ἔνιοι δὲ καὶ Δίωνα ἀποστεῖλαί φασι τὸ ἀργύριον ...« §. 21: »ἔνιοι δέ φασι καὶ κινδυνεῦσαι αὐτὸν ...« Quod, ut dixi, valde dolendum est, ea potissimum de causa, quia, si scriptoris rationem citandi reputamus, suspicio non abest, quin verbo »ἔνιοι« non plures scriptores significentur, sed unus quidam, ita ut haec tota pars ad unum auctorem revocanda sit. Cuius nomen si Laertius attulisset, certius aliquid de Plutarchi fontibus affirmare possemus. Nam etiam aliae Plutarchi partes clarius collucerent, ea imprimis, in qua primum Platonis iter Siciliense narratur. In hac narratione, ad quam ceteri scriptores vix alludunt [1]), Diogenes et Plutarchus, quamvis singula varient, tamen in omnibus rebus, quae magni momenti sunt, satis consonant. Uterque enim tradit 1) Platonem cum Dionysio de virtute collocutum esse; 2) Dionysii animum Platonis libertate loquendi valde offensum esse; 3) Dionysium Platonis vitae insidias parasse; 4) Dionis amicorumque auxilio Platonem servatum esse; 5) Platonem in navem Pollidis Lacedaemonii esse abductum; 6) Pollidem a Dionysio iussum esse philosophum venum dare.

Nihil igitur impedit, quominus utriusque scriptoris narrationem ex eodem fonte primario originem ducere sumamus; etenim si qui scrupuli restant ob varietatem singularum rerum, considerandum est neutrum scriptorem ad illum ipsum fontem descendisse et Laertium mirum quam negligenter et inscite in conscribendo opere versatum esse. Sed hoc utut se habet, nihil inde lucramur ad id, quod nostra maxime interest, definiendum. Licet igitur haec omnis disputatio confirmaverit scriptorem, quem Plutarchus secutus est, non alienum esse a secta philosophorum, nomen scriptoris desperandum est.

---

1) Diod. XV. 7. Nep. Dion. 2, 2. Athen. p. 507 B. Cic. pro Rabir. Post. 9, 23.

Attamen ut nomen huius fontis nesciamus, hoc quidem probare possumus hunc ipsum multo latius, quam adhuc demonstratum est, per Plutarchi narrationem transfundi. Omnes, de quibus adhuc diximus, loci spectant ad eas rationes, quibus Plato cum Dione et Dionysiis coniungebatur. Hae rationes etiam alias respiciuntur et omnino, ut iam supra monui, omnia ita instituta sunt, ut non tam Dionis vitam describi, quam philosophiae academicae laudes dici putes. Hoc sane mirum est. Atque si quaerimus quibusnam ex causis repetendum sit cur Plutarchus multo fusius, quam par est, Platonis gloriationis rationem habuerit, eius rei mea quidem sententia causa probabilissima in eo videtur esse, ut eum putemus haec omnia ex uno fonte hausisse, quo maxime necessitudines inter Platonem Syracusanosque intercedentes exponebantur. Etenim nisi hanc materiam, quae non tam proprie, quam accessionis loco ad institutum eius pertinebat, iam in uno libro congestam invenisset, vix credibile est eum in Dionis vita Platonis res verbosius et diligentius explicaturum fuisse. Itaque vel his rationibus universis probabile fit ex eodem fonte academico, ex quo partes illae supra significatae fluxerunt, omnia fere, quae respectu Platonis dicuntur, esse deducenda.

Sed minime me fugit haec omnia, nisi certioribus argumentis nitantur, pro meris hallucinationibus haberi posse. Afferam argumenta.

In capp. 7—14. agitur potissimum de Dionysii minoris indole atque studiis philosophicis et de causis, quibus factum sit, ut omnes Platonis rationes consiliaque conturbarentur et successu omnino carerent. Haec vel leviter adspicientibus occurrit universum rerum iudicium plane ei respondere, quod in epistolis Platonicis feratur, singularum vero rerum haud paucarum mentionem fieri, quae ad epistolographi auctoritatem revocari non possint. En ecce tibi duos fontes confluentes!

Legimus enim apud Plutarchum Dionysium minorem per Dionem, cui magnam fidem admirationemque habuerit,

ad philosophiae studium Platonisque consuetudinem inflammatum esse. Omnia auctoritate Dionis et Platonis pollente optime sese habuisse et Dionysium, natura non ad pessimos tyrannos adnumerandum, magnam spem dedisse civitatis bene gubernandae. Unis creberrimis conviciis et calumniis aulicorum tyranni iuvenis auribus se inculcantium et suspicionem moventium factum esse, ut postremo Dionysio a Dionis Platonisque amicitia abducto spes omnes ad irritum redigerentur. Eaedem autem causae cur Platonis consilia effectum non habuerint etiam in epistolis afferuntur. In quibus persaepe Plato conqueritur se atque Dionem optima quaeque Dionysio consuluisse, sed adversariorum criminosissime in utrumque insectantium odio in invidiam illius adductos nequivisse ea exsequi, quae omnibus saluti forent. Cf. pagg. 315 E. 316 D. 317 C. 327 B. 329 B. 333 B, C, D. Valde igitur in hoc conspirant Plutarchus et epistolographus, quod omnem fere harum rerum male cadentium culpam transferunt in aulicos calumnias tyranno insusurrantes.

Huic rei convenit, quod omnino in hac Plutarchi vita paullo mitius iudicium de Dionysio fertur. Dicitur »*φύσει οὐ τῶν φαυλοτάτων τυράννων*« fuisse, sed patris timore suspicioso impeditus esse, quominus bonis artibus et disciplinis se imbueret (c. 9). Rerum potitus Dionem plurimi aestimasse fertur et, quod in voraginem voluptatum detrahatur, ob hoc iuventus excusatur. Omnia denique ita narrantur, ut persuasum habeamus hominem imperitum et male educatum non tam suae ipsius naturae pravitate abreptum, quam malorum adulatorum nequitia corruptum huic luxuriosae vitae se dedisse (c. 7). Quamvis libidinibus deditus nihil abalienatur a Dione, qui quum legitimi regis felicitatem praedicaverit eumque adhortatus sit, ut adiuvante philosophia »*βασιλεὺς ἐκ τυράννου*« fiat, omni studio eo fertur, ut Platonem ad se accersat (c. 11). Non, sicuti alias scriptum est[1]), quia patrem in aliqua re imitari

1) Corn. Nep. 3, 2.

voluerit, sed ipse flagrantissimo philosophiae studio correptus dicitur Platonem ad se vocasse, honorificentissime excepisse, quamvis maximis criminationibus sparsis in dies magis amplexus esse. Ne multus sim, Dionysii personam ita informatam videmus, ut imagini in epistolis adumbratae plane respondeat. Dubitari igitur nequit, quin haec omnia eidem scriptori tribuenda sint, apud quem epistolae tamquam totius rei fundamentum sunt et amplificandi causa res quaedam singulae aliunde petuntur. De quibus singulis rebus postea nonnulla addam.

Sane ne hic quidem Plutarchi ipsius ulla est auctorum coniungendorum opera; nam Plutarchus non is est, qui fontibus diligenter collatis hinc iudicium, illinc res sumat; immo eum auctoris sui vestigia premere neque iudicium de Dionysii natura et studiis philosophicis ad certam quandam normam regulamque dirigere locus testatur, quem etiam Groteum[1]) citasse video, qui invenitur c. princ. philos. esse. c. 4 fin.: ».... *καὶ Πλάτων εἰς Σικελίαν ἔπλευσεν ἐλπίζων τὰ δόγματα νόμους καὶ ἔργα ποιήσειν ἐν τοῖς Διονυσίου πράγμασιν· ἀλλ᾽ εὗρε Διονύσιον ὥςπερ βιβλίον παλίψηστον, ἤδη μολυσμῶν ἀναπλέων καὶ τὴν βαφὴν οὐκ ἀνιέντα τῆς τυραννίδος, ἐν πολλῷ χρόνῳ δύςοπτον οὖσαν καὶ δυςέκπλυτον.*« Nonne hoc plane abhorret ab eo, quod in Dionis vita narratur? Et ubinam in ipsa vita scriptum est, quod in Dionis et Bruti syncrisi legimus c. 2: »*ὁ μὲν γὰρ οὐδ᾽ ἠρνεῖτο τύραννος εἶναι κακῶν τε μυρίων ἐμπεπλήκει Σικελίαν*«?

Adde quod etiam alii quidam loci ita comparati sunt, ut magnam cognationem cum epistolis prae se ferant. Quorum nonnulli id, quod apud epistolographum paucis verbis significatum et interdum vix extremis lineis adumbratum est, fusius narrant atque collustrant, nonnulli eandem atque epistolae sententiam modo leviter inflexam modo alio respicientem exhibent. Conferatur:

1) Hist. of Gr. XI. p. 104. annot.

1) Plut. c. 4: »τραφεὶς γὰρ ἐν ἤθεσιν ὑπὸ τυράννῳ ταπεινοῖς καὶ βίου μὲν ἀνίσου καὶ καταφόβου, θεραπείας δὲ νεοπλούτου καὶ τρυφῆς ἀπειροκάλου καὶ διαίτης ἐν ἡδοναῖς καὶ πλεονεξίαις τιθεμένης τὸ καλὸν ἐθὰς καὶ μεστὸς γενόμενος, ὡς πρῶτον ......« Epist. p. 326 B: »... ἐλθόντα δέ με ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων Ἰταλιωτικῶν καὶ Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἤρεσε.« p. 336 D: διώκοντα τὸν Σικελικὸν βίον.«

2) Plut. c. 4: »... καὶ τῇ περὶ αὐτὸν εὐπειθείᾳ τῶν καλῶν ἀκάκως πάνυ καὶ νεωτερικῶς προςδοκήσας ὑπὸ τῶν αὐτῶν λόγων ὅμοια πείσεσθαι Διονύσιον .....« Epist. p. 327 D: »... μεμνήμενος τήν τε αὐτοῦ καὶ ἐμὴν συνουσίαν, ὡς εὐπετῶς ἐξειργάσατο εἰς ἐπιθυμίαν ἐλθεῖν αὐτὸν τοῦ καλλίστου τε καὶ ἀρίστου βίου.«

3) Plut. c. 7 et 8: »... φανερώταται δὲ καὶ μέγισται τῶν εἰς φθόνον καὶ μῖσος αἰτιῶν ὑπῆρχον ἡ τοῦ βίου διαφορὰ καὶ τὸ τῆς διαίτης ἄμικτον ...... ἦν οὖν, ὡς εἰκὸς, ὁ Δίων ἐπαχθὴς εἰς οὐδὲν ἡδὺ καὶ νεωτερικὸν ἐνδιδοὺς ἑαυτόν.« Epist. p. 327 B: »... τὸν ἐπίλοιπον (!) βίον ζῆν ἠθέλησε διαφερόντως τῶν πολλῶν Ἰταλιωτικῶν καὶ Σικελιωτῶν· ἀρετὴν περὶ πλείονος ἡδονῆς τῆς τ᾽ ἄλλης τρυφῆς ἠγαπηκώς· ὅθεν ἐπαχθέστερον τοῖς περὶ τὰ τυραννικὰ νόμιμα ζῶσιν ἐβίω.«

4) Plut. c. 9: »... αἰτίαν δὲ τούτου τὴν ἀπαιδευσίαν (τοῦ Διονυσίου) εἶναι νομίζων ....« Epist. p. 332 D: ἐπειδὴ τὰ παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτῷ ξυνεβεβήκει οὕτως, ἀνομιλήτῳ μὲν παιδείας, ἀνομιλήτῳ δὲ συνουσιῶν τῶν προςηκουσῶν γεγονέναι ....« Cf. etiam p. 316 C.

5) Plut. c. 10. rhetorice exponit quibus verbis Dio Dionysio persuadere studuerit, ut ex tyranno rex factus bonis artibus usus et suam potentiam firmet et totius Siciliae adaugeat prosperitatem. Quae his verbis speciosis tamquam fundamentum substructa sunt, ea invenies in epistolis expressa pag. 315 C: »καὶ Συρακουσίους ἐπικουφίσαι τὴν ἀρχὴν ἀντὶ τυραννίδος εἰς βασιλείαν μεταστήσαντα ...« p. 327 D: »... μεγάλας ἐλπίδας εἶχεν ἄνευ σφαγῶν καὶ θανάτων καὶ τῶν νῦν γεγονότων κακῶν βίον ἂν

εὐδαίμονα καὶ ἀληθινὸν ἐν πάσῃ τῇ χώρᾳ κατασκευάσαι.« Cf. etiam p. 319 D. 331 D. 332 B.

6) Quae quum ita sint, non dubito etiam alium locum Plutarchi referre ad huius Academici auctoritatem. Agitur enim c. 3 de Dionysii familia. De qua, quae a Plutarcho, Cornelio X. 1, 1, Diodoro XIV. 44. XVI. 6. traduntur, si comparaverimus, inveniemus eos non prorsus consonare. Prima quidem, quae exstat, diversitas in nominis scriptura (Nysaeus [1]), Nisaeus, Narsaeus) tam parvula est, ut inde nihil cogendum sit. Facile enim unus quisque concedet vel ipsorum auctorum incuria vel negligentia scribarum, quibus nos codices debemus, hos in scriptis nominibus propriis errores posse oriri. Maiorem vim duo habent, primum quod apud Plutarchum c. 3 Hermocratis filia voluntariam mortem obiisse dicitur, apud Diodorum XIV. 44 interfecta esse. Deinde Plutarchus Aristomachen appellat *»θυγατέρα Ἱππαρίνου πρωτεύσαντος ἀνδρὸς Συρακουσίων καὶ Διονυσίῳ συνάρξαντος, ὅτι πρῶτον ἐπὶ τὸν πόλεμον ᾑρέθη στρατηγός.«* Diodorus neutiquam commemorat Hipparinum Dionysii collegam imperii fuisse, sed XIII. 93, ubi de hac re dicit, hoc exponit *»ταχὺ δὲ τῶν πολλῶν, ὥςπερ εἰώθασιν, ἐπὶ τὸ χεῖρον ῥεπόντων, ὁ Διονύσιος ἀπεδείχθη στρατηγὸς αὐτοκράτωρ.«* Contra ea summa consensio est inter Plutarchum et epistolographum p. 353 A: *»... τότε γὰρ εἵλοντο Διονύσιον μὲν ὡς νέον καὶ πολεμικὸν ἐπὶ τὰς τοῦ πολέμου πρεπούσας αὐτῷ πράξεις, σύμβουλον δὲ καὶ πρεσβύτερον Ἱππαρῖνον ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Σικελίας αὐτοκράτορας, ὥς φασι, τυράννους ἐπονομάζοντες ...«* itemque p. 354 D: *»οἱ γὰρ πρὸ Διονυσίου καὶ Ἱππαρίνου ἄρξαντες Σικελιῶται ...«*

Quaenam in illis rerum civilium conversionibus Hipparini fuerint partes, quum de hac re pauca eademque paullo obscurius tradita sint, nihildum expediri potest. Videtur tamen eorum, qui opprimendae nobilitati operam navabant, studiis valde favisse et, etiamsi ipsum tyrannum

1) Plut. Tim. 1. de sera num. vind. c. 16.

se facere dubitaret, Dionysium et ad tyrannidem occupandam stimulavisse et in retinenda adiuvisse. Hoc quidem ex eo intellegere possumus, quod Aristoteles, auctor gravissimus, polit. V, 5, 6 scribit: »*γίνονται δὲ μεταβολαὶ τῆς ὀλιγαρχίας καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀσελγῶς· καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον, ὥςπερ Ἱππαρῖνος Διονύσιον ἐν Συρακούσαις.*« Quamquam igitur patet aliquo modo Hipparinum illis rerum permutationibus implicatum esse, tamen eum Dionysii collegam fuisse, quum ad se ille summam omnium rerum moderationem verteret, veri videtur dissimile esse.

Eo magis premenda est Plutarcho a Diodoro dissentienti necessitudo cum epistolographo intercedens. Hoc quidem possit obiici Diodorum, quum auctoris sui narrationem in brevius contraheret, negligentia magna usum gravissima quaeque saepe non excerpsisse; itaque ex eo, quod Hipparini nullam mentionem fecerit, non posse continuo concludi ne in fonte quidem de eo dictum esse. Quod quamqam in universum probari potest, tamen ad hunc locum adhiberi nequit. Nam diserte ad exemplum Gelonis revocamur, quem eundem in pugna apud Himeram commissa solum scimus imperium summum obtinuisse. Itaque diversis e fontibus Plutarchum et Diodorum sua derivasse statuendum est. Atqui hunc in illa parte Timaeo usum esse Volquardsenus probandis rationibus demonstravit. Inde necessaria quadam consecutione efficitur a Plutarcho cap. 3 init. Timaeum exscriptum non esse atque eo probabilius est haec quoque ex Academico petita esse. Hoc haud parvi momenti est, quum videamus Academicum etiam ad res Dionysii familiares illustrandas a Plutarcho adhibitum esse.

Postquam autem rationibus, ut spero, non improbandis demonstratum est illum fontem academicum, quem vocavimus, per totam Plutarchi narrationem quam latissime patere, apparet etiam pauca illa, quae restant, quatenus aliquem Platonis respectum habent, eidem fonti

tribuenda esse. Sane haece firmissimis quibusque argumentis probari non possunt, at puto nos in indagando hoc academico fonte iam eo progressos esse, ut nunc satis sit argumenti, quod omnia inter se bene cohaerent neque ulla afferri potest causa, cur illa, quae supersunt, ex alio fonte deducantur. Ac primum quidem cap. 5 initium, ubi Platonis primum iter Siciliense narratur, cur non ex eodem scriptore repetamus, ex quo cap. 4, nulla causa est. Bene enim se annectit ad huius capitis finem, quem ex Academico fluxisse supra monuimus. Etiam quae de cognatione huius loci et Laertiani diximus, non possunt hanc opinionem non confirmare. Iam vero nihil antiquius habeo, quam ut illud praecaveam, ne quis sibi persuadeat Plutarchum quippe in permultorum librorum studio volutatum non exscribere auctorem suum, sed suum ipsius, quod de his rebus sibi animo formaverit, iudicium expromere. Nam idem Plutarchus prorsus aliam causam, cur Plato Dionysium offenderit, affert de tranq. anim. c. 12: »*Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος οὐκ ἠγάπα μέγιστος ὢν τῶν τότε τυράννων, ἀλλ' ὅτι μηδὲ ...... μηδὲ περιῆν ἐν τῷ διαλέγεσθαι Πλάτωνος ὀργισθεὶς καὶ παροξυνθεὶς τὸν μὲν ...... τὸν δ' ἀπέδοτο πέμψας εἰς Αἴγιναν*«. Hic apertissime vir bonus res utriusque Dionysii confundit.

Tum quod c. 8 de Dionis asperitate et gravitate dicitur, Academicum prodit. Nam hoc iudicium plane conspirat cum eo, quod epistolographus de Dione fert eius »*αὐθάδειαν*« vituperando. Adde quod etiam in initio huius capitis illius fontis vestigia apparent.

Pariter cap. 12 init. de calumniis aulicorum sermo est. Quod si Dio arguitur cum Heraclide et Theodote de evertenda tyrannide consilia communicasse, hoc quodammodo cum epistolis consonum est, in quibus etiam utriusque illius ut Dionis Platonisque socii mentio fit. Cf. pot. p. 318 C.

Sequuntur verba »*ἤλπιζε — καταστήσαντα*«, quae eodem spectant atque supra cap. 10. Quae autem in fine cap. 12 exstant »*οὐκ ἐπαινῶν μὲν δημοκρατίαν, πάντως δὲ βελτίω*

τυραννίδος ἡγούμενος τοῖς διαμαρτάνουσιν ὑγιαινούσης ἀριστοκρατίας«, ea quum vel maxime hominem resipiant, qui Platonis de regenda civitate doctrinam laude dignam habet, aptissime quadrant in Academicum.

Nihil nunc restat — si omnes narratiunculas insertas praetermittimus, de quibus postea pauca addenda sunt — nisi init. capp. 13 et 19, quae ita in ceteras partes ex Academico derivandas interclusa sunt atque ita cum iis congruunt, ut, quin ex eodem fonte desumpta sint, nequeat omnino in dubio esse. Vidimus etiam Academicum supra contra epistolarum auctoritatem affirmare multas literas ante secundum Platonis iter a Dionysio missas esse: hoc ex eodem fonte manasse atque capp. 13 et 19 initia haud scio an confirmetur Aeliani loco. v. h. IV. 18: Animum advertas quo inter se modo contineantur:

Ael. ... Ὅτε κατῆρε Πλάτων ἐν Σικελίᾳ κλητός, πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπιστείλαντος τοῦ Διονυσίου, καὶ κατήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα Διονύσιος .... ὅτι ὑπόπτης ὢν ἐς πάντας ὁ Διονύσιος, τοσαύτην ἔσχεν ἐς Πλάτωνα αἰδῶ, ὡς ἐκεῖνον μόνον ἐσιέναι πρὸς αὐτὸν μὴ ἐρευνώμενον	Plut. c. 11. .... πολλὰ μὲν ἐφοίτα γράμματα παρὰ τοῦ Διονυσίου ... c. 13. .. καὶ γὰρ ἅρμα τῶν βασιλικῶν αὐτῷ παρέστη ... c. 19. ... ἐξαίρετος δὲ παρὰ τῷ Διονυσίῳ πίστις, ἣν οὐδεὶς ἄλλος εἶχεν, ἀδιερεύνητον αὐτῷ πλησιάζειν.

Itaque hoc quoque ad firmioris argumenti stabilitatem revocatur.

Quae omnia, si recte ratiocinati sumus, demonstrant illius fontis academici vestigia inveniri in omnium capp. 3—22 quibusdam partibus. Quaecunque igitur ad Platonis itinera in Siciliam facta atque ad rationes inter ipsum et aulam tyrannorum intercedentes pertinent, ea ex uno fonte repetenda esse vel certis argumentis probatum vel, si id minus fieri potuit, ex universis rationibus conclusum est.

Iam progrediamur ad reliquos huius primae partis fontes investigandos. Vidimus in exordio totius disputa-

tionis praeter Platonem auctorem citari Timaeum. Veri igitur videatur simillimum esse reliqua illa, quae ad Academici auctoritatem adhuc referre non potuimus, Timaeo tribuere. Et hanc opinionem cum alii viri docti habuerint, tum Volquardsenus profitetur l. l. pag. 95, Cornelium cum Plutarcho comparans.

Quae mihi non videtur posse probari vel, ut distinctius dicam, non ea ratione probari, qua eam valere vir doctus voluerit. Equidem puto ex Timaeo ipso in hac vitae parte Plutarchum perpauca sumpsisse. At, quaeris, quo tandem modo fieri potuit, ut illi hoc sibi persuaserint? Qua ratione explicatur illa Cornelii et Plutarchi, quam dicunt, conspiratio? Quaestio paullo difficilior est et ita tantum mihi videtur solvi posse, ut sumamus Cornelium ex ipso auctore hausisse, Plutarchum vero non ex ipso, sed ex scriptore aliquo, qui hunc fontem cum aliis coniunxerit.

Neque, ut id iam praemoneam, dubito opinari ea quoque, quae in his capitibus ad Platonem non spectant, provenisse ex Academico. Quod ut demonstremus, exponendum est quae rationes intersint inter Plutarchum et Cornelium Nepotem. Hic in Dionis vita ea, quae ante expeditionem Dionis Siciliensem gesta sunt, exponit in primis quattuor capitibus, quae inter se bene cohaerent, ita ut ex uno ea fonte fluxisse appareat, nisi quod c. 4, 3—5 aliunde desumptum est. Neque enim haec de Dionis puero corrupto fabella suo loco narratur et scriptor ipse verbis »sed illuc revertor« satis indicavit hoc cum ceteris non necessario contineri. Quae vero capp. 1—4, 3 narrantur, ea magnam prae se ferunt cognationem cum iis, quae Plutarchus c. 1—21 exhibet, quatenus res Platonis non perstringuntur. Cf. Corn. X, 1, 3: »erat intimus Dionysio priori neque minus propter mores quam affinitatem«. Plut. c. 4: »... *ὕστερον τοῦ φρονεῖν διδοὺς πεῖραν ἤδη καθ' ἑαυτὸν ἠγαπᾶτο παρὰ τῷ τυράννῳ.*« X, 1. 2: »... magnas praeterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat.« c. 4: »*καὶ πρὸς ἅπασι τοῖς ἄλλοις εἴρητο*

τοῖς ταμίαις ὅ τι ἂν αἰτῇ Δίων διδόναι, δόντας δὲ πρὸς αὐτὸν αὐθημερὸν φράζειν.« X, 1. 3: »aderat in magnis rebus eiusque consilio multum movebatur tyrannus.« c. 5: »*οὐ μὴν ὅ γε Δίων ἔλαττον εἶχε παρὰ τῷ Διονυσίῳ τιμῆς ἢ πίστεως.«* X. 1, 4: »legationes vero omnes, quae essent illustriores, per Dionem administrabantur ... hunc a Dionysio missum Carthaginienses suspexerunt, ut neminem unquam Graeca lingua loquentem.« c. 5: »*ἀλλὰ πρεσβείας τε τὰς μεγίστας διῴκει καὶ πεμπόμενος πρὸς Καρχηδονίους ἐθαυμάσθη διαφερόντως.«* X. 2, 4: »interim in morbum incidit Dionysius, quo cum gravi conflictaretur, quaesivit ex medicis Dion quem ad modum se haberet simulque ab his petiit, si forte maiori esset periculo, ut sibi faterentur, nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno, quod sororis suae filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. Id medici non tacuerunt et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc aeger sumpto diem obiit supremum.« c. 6: »*ἐπεὶ δὲ νοσῶν ἔδοξεν ὁ Διονύσιος ἀβιώτως ἔχειν, ἐπεχείρησεν αὐτῷ διαλέγεσθαι περὶ τῶν ἐκ τῆς Ἀριστομάχης τέκνων ὁ Δίων· οἱ δ᾽ ἰατροὶ τῷ μέλλοντι τὴν ἀρχὴν διαδέχεσθαι χαριζόμενοι καιρὸν οὐ παρέσχον· ὡς δὲ Τίμαιός φησι, καὶ φάρμακον ὑπνωτικὸν αἰτοῦντι δόντες ἀφείλοντο τὴν αἴσθησιν αὐτοῦ θανάτῳ συνάψαντες τὸν ὕπνον.«* X. 1, 3: »namque (etsi Dionysii crudelitas ei displicebat) tamen salvum propter necessitudinem, magis etiam suorum causa studebat.« c. 8: »*οὐ μὴν ἀλλὰ τότε πλείστου δοκῶν ἄξιος ὑπάρχειν διὰ τὰ πράγματα καὶ μόνος ἢ μάλιστα τὴν τυραννίδα σαλεύουσαν ἀνορθοῦν καὶ διαφυλάττειν ἐγίνωσκεν οὐ πρὸς χάριν ἀλλ᾽ ἄκοντος ὑπὸ χρείας τοῦ τυράννου πρῶτος ὢν καὶ μέγιστος.«* X. 4, 2: »Dionysius omnia quae moveri poterant Dionis in navis imposuit adque eum misit.« c. 15: »*δύο δὲ ναῦς παραδοὺς τοῖς Δίωνος οἰκείοις ἐκέλευσεν ἐνθεμένοις ὅσα βούλοιντο τῶν ἐκείνου χρήματα καὶ θεράποντας ἀπάγειν εἰς Πελοπόννησον.«*

Haec omnia adeo inter se videbantur concinere, ut Plutarchus et Cornelius uno fonte usi esse putarentur. Hunc fontem Timaeum esse persuasum habebant, quippe qui in Plutarchi de Dionysii maioris morte narratione citaretur. Sed huic opinioni ut adstipulemur, non parva offensio removenda est ex ipso illo loco Plutarcheo, in quo totius quaestionis quasi cardo est. Nam quum Cornelius Dionysium minorem narret medicos coegisse, ut patri soporem darent mortiferum, Plutarchus auctore Timaeo tradit hunc soporem Dionysium maiorem ipsum a medicis postulasse. In hac quidem re scriptorum iudicia adeo dissonare evidens est, ut, licet in ceteris magna consensio sit, nisi hac difficultate sublata de communi fonte cogitari nequeat. Quam non tollemus, nisi si demonstraverimus aut in Cornelii aut in Plutarchi narrationem irrepsisse errorem quendam, quo aperto concordia turbata restituatur.

Diceres hanc discrepantiam ortam esse Cornelii levitate atque inscitia, qui graeci auctoris, quem sequeretur, verba male interpretaretur: quod vel ex ineptis illis verbis »nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno« posse intellegi. Unum coniicio verba »soporem medicos dare coegit« sine dubio ad Cornelii ipsius superlationem referenda esse neque quidquam in fonte scriptum fuisse nisi hoc, medicos Dionysio minori obsecuturos patri eius, ut Dionem ab aditu arcerent, illum soporem dedisse, ita ut annuente quidem filio, non cogente hoc fecisse putandi sint. Nam medicos quippe enixe rebus successoris inservientes quid opus erat cogere?

Sed hac interpretatione difficultas haud quaquam aufertur, nam secundum verba Plutarchi nulla omnino Dionysio minori culpa tribuitur. At forsitan apud Plutarchum non omnia recte se habeant? Fuerunt sane qui illum Plutarchi locum c. 6 corruptum iudicarent, neque hoc temere. Etenim si illius narrationem per se consideramus nulla Cornelii ratione habita, ita eam intellegimus comparatam esse, ut opera medicorum illustretur Dionem a

Dionysii congressu prohibentium. Ad quae Plutarchus addit medicos etiam soporem aegroto dedisse. Hoc additamentum quid sibi velit planum non est, nisi quo modo pertinet ad consilia medicorum, qui »*τῷ μέλλοντι τὴν ἀρχὴν διαδέχεσθαι χαριζόμενοι καιρὸν οὐ παρέσχον*«. Mihi quidem contextu totius narrationis maxime videtur postulari, ut illa praematura mors Dionysii quodammodo medicis culpae vertatur. Hi vero, si Dionysio ipsi poscenti soporem dedisse traduntur, omni culpa eximuntur. Age vero reputemus huius rei testem citari Timaeum, cuius studium criminandi et culpandi tantum erat, ut propter id ipsum nomen »*Επιτίμαιος*« sibi pararet.

Quis autem sibi persuadeat eum maledicentiam suam alias quam maxime effrenatam hic adeo coercuisse, ut de rationibus ad Dionysii mortem spectantibus iudicium exhiberet omnium mitissimum? hominem tyrannis tyrannorumque amicis infestissimum occasionem non captasse acerrime in illos invehendi? Immo vero persuasum habeo Timaeum fuisse eum, qui miras illas et paullo obscuriores res, quae Dionysii mortem attulerant, odiosissime illuminaret. Dissentanea igitur Plutarchi verba sunt et toti loci contextui et naturae Timaei: quae offensio si leni correctione tolli potest, haec probanda est.

Atque duo viri, quod meminerim, huic loco mederi studuerunt. Quorum Laarius l. l. pag. 18 legendum esse censet: »*οἱ δ' ἰατροὶ ...... παρέσχον, ὥς Τίμαιός φησι, καὶ φάρμακον ὑπνωτικὸν νοσοῦντι δόντες κ. τ. λ.*« Sed hanc coniecturam vel ea de causa reiiciam, quia hac laudata omnium fontium rationes perturbantur; nam tum — id quod Laarius voluit — etiam antecedentia ex eodem fonte fluxisse iudicaremus, non sola verba »*καὶ φάρμακον — ὕπνον*«. Talis coniectura licet alias nihil habeat offensionis, certe, si in fontes cuiuslibet scriptoris inquirimus, maxime cavendum est, ne ipsi singulorum terminos loco moveamus. In verbis »*ὡς δὲ Τίμαιός φησι*« quaqua ratione acquiescendum est.

Contra ea consentanea videtur Mehleri coniectura, quam in Mnemosyne VIII. p. 75 proposuit et exemplis allatis defendit: transponendum esse unum verbum et scribendum: »*ὡς δὲ Τίμαιός φησι, καὶ φάρμακον αἰτοῦντι ὑπνωτικὸν δόντες κ. τ. λ.*«

Qua probata omnes omnino difficultates removentur: Dionysius medicinam postulat, medici porrigunt soporem, scilicet »*χαριζόμενοι τῷ μέλλοντι διαδέχεσθαι τὴν ἀρχήν.*«

Tum vero, si quidem ea, quae supra argumentatus sum, non videntur contortula esse, etiam omne cum Cornelio discrimen tollitur. Rectene igitur viri docti illi iudicavere, qui Plutarchum et Cornelium haec omnia ex Timaeo hausisse opinarentur? Non prorsus.

Ut autem quid tandem haec tota disputatio sibi velit explanatius fiat, liceat mihi ea, quae adhuc enucleavimus, breviter comprehensa repetere. Plutarchus ratione loci citati »*ὡς δὲ ... φησὶ καὶ*« indicat ex Timaeo ipso nihil nisi verba »*φάρμακον αἰτοῦντι ὑπνωτικὸν δόντες — τὸν ὕπνον*«, antecedentia autem aliunde derivanda esse, ita ut de Dionysii fine secundum duos auctores referatur. Atqui cognovimus ex locis Cornelianis in auxilium vocatis hanc de Dionysii morbo narrationem, quatenus ex Timaeo non est deducenda, arte cohaerere cum ceteris illis supra laudatis, quae ex alio fonte atque ex epistolis Platonicis sumpta sunt. Inde concludere licet, quum Corneliana inter se maxime connexa sint, omnia haec ex communi fonte originem ducere. Efficimus igitur illa omnia Plutarchum non derivasse ex Timaeo.

Tamen Timaeum notem fontem Cornelii. Scio quid obiici possit, hoc non fieri potuisse nisi Plutarchi ipsius verbis transmutatis: sed haec transmutatio tam necessaria videtur tamque lenis est, ut non dubitem illam Mehleri coniecturam probare atque hoc fundamento argumentationem meam stabilire. Nam qui alter locus afferri possit, quo demonstretur Timaeo Cornelium non usum esse, hic mihi ne minimum quidem scrupulum movet. Exstat enim apud Plut. c. 14, ubi ad Timaei auctoritatem se refert,

»ἐνθέμενος εἰς ἀκάτιον«, quum apud Cornelium legamus c. 4: »navem ei triremem dedit«. Primum quidem firmissimis argumentis demonstrari non possit omnia cap. 14 inde a verbis »ἐκ τούτων ὑποψίας« usque ad »πρὸς τὴν Ἰταλίαν« ex ipso Timaeo desumpta esse; etenim etiam apud epistolographum legimus »σμικρὸν εἰς πλοῖον ἐμβιβάσας«. Sed sumamus omnia Timaei et ab hoc scriptum esse Dionem in parvo navigio transportatum esse, tum hic non est intellegendus nisi unus multorum in convertendis Graecis libris errorum a Cornelii sive negligentia sive linguae Graecae inscitia factorum. Res notissima est. Cf., ut exempla quaedam afferantur, Nipperdey. ad Corn. I. 7, 2. II. 1, 2. II. 7, 3. IV. 1, 2. IV. 3, 5. IV. 5, 1. V. 2, 1. V. 3, 4. XI. 1, 4., alia. Cornelium, quum apud auctorem verbum »ἀκάτιον« deprehenderet, non operam dedisse, ut acriter, quae navium species significaretur, et intellegeret et converteret, sed in universum in navis alicuius notione acquievisse si statuimus, iniuriam ei minime inferimus. Quum cetera quam maxime Timaei naturae respondeant, contendere non dubito Timaeum Cornelii esse fontem. At dixerit quispiam, nunc omnia perturbationum plena esse. Timaeum Cornelii auctorem esse, Cornelium et Plutarchum consentire, tamen Timaeum Plutarchi fontem esse negari. Puto, ut iam supra significavi, turbas ita expediendas esse, ut sumamus sane omnia illa, quae apud Cornelium et Plutarchum consona sint, originem ducere ex Timaeo tamquam primo fonte, sed ita, ut Cornelius auctorem ipsum inter manus habuerit, Plutarchus Academico usus sit Timaeum exscribente. Vidimus huius Academici vestigia in tota hac parte prima cognosci et narrationem eius praeter epistolas Platonicas aliis quoque e fontibus sumptam esse: inter hos fontes etiam Timaeus erat.

Plutarchum autem non ad fontem ipsum descendisse, ex quo Cornelius hausit, vel hac re confirmabitur. Quum enim in illis rebus, quas contulimus, magnus quidam inter utrumque scriptorem consensus sit, tamen in hoc differunt,

quod Cornelius multo acerbius odiosiusque Dionysios et Philistum insectatur, quam Plutarchus, qui ubicunque Dionysium maiorem commemorat, castigat eius crudelitatem. Cf. X. 1, 3. 1, 4. 2, 3. Apud Plutarchum solis in adiectis illis narratiunculis haec acerbitas iudicii exstat.

Amicitiam quandam inter Dionem Dionysiumque minorem etiam post maioris mortem fuisse tradunt Cornelius et Plutarchus, sed ille iudicat hanc amicitiam simulatam fuisse, revera tyranni mortem causam et initium inimicitiae fuisse in dies crescentis, hic Dionem auxilium et bello gerendo et paci comparandae pollicitum a Dionysio magni aestimatum esse. Porro apud Cornelium Philistus ab ipso Dionysio revocatur et »homo amicus non magis tyranno quam tyrannis« appellatur, apud Plutarchum studio aulicorum in patriam restituitur et quidem fuisse »τυραννικῶν ἠθῶν ἐμπειρότατος«, sed etiam »πεπαιδευμένος περὶ λόγους« dicitur; eodem modo apud Cornelium omnis Dionis expulsi culpa redit in Dionysium ipsum: nihil commemorantur calumniae eorum, qui illum suspectum reddiderunt. Deinde Corn. 3, 3 tradit »a qua voluntate consilio Philisti deterritus aliquanto crudelior esse coepit«, Plutarchus in ipsa vita nihil de Dionysii minoris crudelitate narrat, quamquam comparatione Dionis et Bruti facta non dubitat tyranno opprobrio vertere, quod Siciliam summis malis affecerit.

Atqui demonstravimus in compluribus locis illius Plutarchi iudicii eam esse causam, quod Academicum secutus sit; nonne eandem rationem etiam in ceteris fuisse putabimus pariter comparatis? Nam neque Cornelius credendus est iudicium auctoris sui acuisse neque Plutarchus id lenivisse, quum ille, ut hoc uno exemplo utar, de regg. 2, 2 in Dionysium maiorem se satis indulgentem et clementem praebeat, hic non vereatur de eo referre fabulas odiosissimas. Uterque igitur in his omnibus rationibus auctorem suum sequitur, et quum in rebus ipsis consentiant, sibi repugnent in iudiciis, veri simillimum est Cornelii fontem ipsum adiisse, Plutarchum hausisse ex Academico.

Nam per Academicum Plutarchum illa cognita habere vel id testatur, quod, ut supra monstravimus, ille etiam cap. 3 in exponendis Dionysii rebus familiaribus exscriptus est. Porro hunc auctorem investigavimus in studiis aulicorum capp. 7—14 illustratis, quibus Dionis auctoritatem delere studuerunt. Inter omnes calumnias, quibus Dionysii suspicionem moveant, hanc tamquam gravissimam saepissime proferunt velle Dionem summam potentiam convertere in filios Aristomachae (vid. c. 6. 7. 14). Hoc Timaeum quoque commemorasse ex Corn. X. 2, 4 concludimus.

Coniicio igitur ex Timaeo Academicum, si non omnia, at multa hausisse, quae ad res ab epistolographo traditas adderet. Ex eo veri simile est repetenda esse etiam ea, quae singula de Syracusanae aulae luxu (c. 7), de adamantinis illis tyrannidis vinculis (c. 7. 10), de tyrannorum copiis dicuntur (c. 14). Quamquam certis argumentis hoc demonstrari nequit. Nam de Dionysii minoris luxuria etiam alios scripsisse scimus et Dionysii maioris illud, se regnum adamantinis catenis colligatum relinquere, ut multa et alia tyranni dicteria, tam notum erat, ut a quovis scriptore commemorari posset (cf. Diod. XVI. 6. 70. Ael. v. h. VI. 12). Sed quoniam huius scriptoris vestigia invenimus, quid causae est, cur ea, quae in hunc bene quadrant, transferamus in alium? Atque forsitan exiguum quoddam vestigium Timaei indagetur in ipsis verbis cap. 7, quae sunt de Dionysii luxuria, de qua Timaeum dixisse testantur frg. 127. 128. Legimus enim apud Plutarchum: »*ὑφ᾽ ὧν ἡ τυραννὶς, ὥςπερ σίδηρος, μαλασσομένη τοῖς μὲν ἀρχομένοις ἐφάνη φιλάνθρωπος καὶ τὸ λίαν ἀπάνθρωπον ὑπανῆκεν, οὐκ ἐπιεικείᾳ τινὶ μᾶλλον ἢ ῥᾳθυμίᾳ τοῦ κρατοῦντος ἀμβλυνομένη*«. His verbis suspicio est Academicum allusisse ad ea, quae certe ex Timaeo exscripsit Diod. XIV. 44: »*ἀπετίθετο γὰρ ἤδη τὸ πικρὸν τῆς τυραννίδος καὶ μεταβαλλόμενος εἰς ἐπιεικείαν φιλανθρωπότερον κ. τ. λ.*

Sed haec hactenus, nam nullum iam argumentum afferre possum, quo hanc meam de fonte huius primae

partis primario opinionem confirmem. Restat, ut pauca de Timaeo dicam et de narratiunculis illis abundanter agglutinatis.

Quaeri possit cur mihi non persuadeam etiam illos locos, ubi Timaeum citat, Plutarchum deprompsisse ex Academico et scriptoris nomen eadem de causa apposuisse, qua Platonis attulerit. At hoc mihi cap. 6 verba videntur vetare. Tum enim necesse esset opinaremur iam Academicum hausisse et ex Timaeo et ex scriptore quodam Timaeum, epistolographum, forsitan alium coniungente. Quod plane veri est dissimile. Cur Plutarchus ad illa pauca addenda Timaeum versaverit aliquo modo explicari potest, cur Academicus hoc fecerit, nequeat explicari. Nam supra significatum est Academicum mite quoddam iudicium de Dionysio iuniore ferre; huic rei convenit, si putatur criminationes Timaei illas, quibus Dionysii prioris mortis culpa aliqua ex parte in filium derivatur, consulto non commemorasse. Plutarchum vero notum est sibi non tam constantem esse, ut, si tale quid invenerit, id annectere omittat. Narrationem autem de Dionis relegatione cap. 14 ea de causa, ut coniicio, ex Timaeo sumpsit, quia rem copiosius describere voluit Academico fortasse non minus brevi et conciso, quam sunt epistolae Platonicae pag. 329 B.

Utrum etiam verba cap. 5 fin.: »*ὡς καὶ περὶ Γέλωνος ἐπίπληξιν — αἴσχιστον δὲ Διονύσιος*« et cap. 11 med. »*ὁ γὰρ Φίλιστος — τῆς ἱστορίας σχολάζων*« ex Timaeo ipso hausta sint an ex Academico non ausim diiudicare. Utrumque autem locum, sive Plutarchus sive Academicus eum exscripsit, ad Timaeum referendum esse patet. Etenim quod cap. 5 Gelo laudatur, hoc Timaei iudicio prorsus consonare intellegitur et ex scriptoris fragm. 84—90 et ex Diod. XI. 23. Quod caput ex Timaeo profluxisse ob eam rem persuasissimum habeo, quia luculentissime illustrat illud Polybii iudicium XII. 26. b. (Tim. frg. 87).

Plut. cap. 11 autem deprehendis invidiosum et maledicentem Philisti, Dionysii, Leptinis adversarium in illa abundanti criminationum copia.

Denique de narratiunculis adspersis vix habeo quid dicam; inveniuntur capp. 3. 5. 7. 9. 13. 17. 20. 21.

En satis uberem copiam! Hae vero singulae fabellae unde petitae sint, sicuti plerumque scire nullius momenti est, ita difficile est cognitu. Quum enim Plutarchus in omnibus fere vitis, quemcunque auctorem sequitur, talibus nugis, quas ad virorum clarorum mores et ingenia recte perspicienda quam plurimum conferre sibi persuadet, multis inserendis delectetur, putant omnia verbis, veluti *λέγεται*, *λέγουσιν*, *ὥς φασιν*, similibus, confirmata ex narratiuncularum quadam collectione repetenda esse, quam aut ipse sibi fecerit aut ab aliis factam in manu habuerit [1]). Difficile igitur est enucleatu unde quaeque in talem librum fluxerint: illa, quae supra allata sunt, maximam partem Timaei naturae conveniunt.

Tota hac fontium investigatione pedetemptim facta quid nobis videamur invenisse stemmate apposito declarabitur:

Platonis epistolae	Timaeus	Narratiunculae [2])
Academicus		
Fons praecipuus.	5, 3-11?	2,32-3,12; 4,27-30; 6,26-30;
	5, 21-23	7,26-8,20; 11,6-14; 14,25-32;
	10, 4-16?	17,3-9; 17,31-18,17.
	12, 3-18	

Iam vero transeamus ad cognoscendos eos scriptores, quorum auctoritate altera libri Plut. pars capp. 22—51 et 53 circumscripta nititur. In primae partis fontibus investigandis eo adiuti sumus, quod nobis auctor quidam primarius servatus est, quo evoluto totius quaestionis fir-

1) Cf. et. R. Volkmann: Plut. Leb. u. Schrift. p. 212.
2) Numeri sunt pag. et vers. edit. Car. Sintenis anno 1870 ex aedib. Teubneri profect.

mum quasi fundamentum iacere potuimus. Qui fortunae favor hic nobis non obtigit. Nam fere nullum exstat auctoris primarii fragmentum, quod cum Plutarcho comparare possimus, et inter scriptores secundarios unus Diodorus res tam late et copiose exponit, ut inde aliquo modo Plutarchi narratio illuminetur.

Quae quum ita sint, quum Plutarchi fontes fere ex ipso solo cognoscantur, in hac vitae parte alia indagandi ratio instituenda est. Auctores citat Plutarchus:

Timaeum: capp. 31. 35. 36.
Timonidem: capp. 31. 35.
Ephorum: capp. 35. 36.
Theopompum: cap. 28.

Quum Timonidi magnam tribuat auctoritatem, viri docti sibi recte persuaserunt hunc Plutarchi fontem esse uberrimum neque tamen argutius explicaverunt, quae rationes inter eum et Timaeum intersint, utrum Timaeus ex Timonide hauserit et ea, quae apud Plutarchum huius propria esse cognoscuntur, ex illo derivata sint an Plutarchus Timaeo et Timonide pariter usus sit et ubi hunc, ubi illum sequatur. Quas omnes rationes ut paullo accuratius exponam, mihi vel maxime propositum est.

Initium capiat inquisitio nostra a considerandis et recensendis iis, quae in posterioribus huius secundae partis capitibus traduntur. Quicunque enim capp. 30—50 paullo attentius perlegerit, in universum in iis certum quendam et constantem narrationis colorem et habitum cognoscet, quo perspecto ad fontium indagationem vel maximum adiumentum nancisci potest. Atque haece quidem ex propria illa narrandi et iudicandi ratione elucent:

1) *Scripta sunt haec fere omnia ab homine, qui vehementissimo studio Dionis partibus favens et magnam eius virtutem praedicat rerumque civilium probat administrationem et omni eum discordiarum Syracusis ortarum culpa eximit.*

Fortitudinem quidem Dionis, quae summa in praeliis cum Dionysii copiis commissis apparet, consonis laudibus

Diodorus et Plutarchus efferunt. Cf. Plut. ed. Sintenis. V, pag. 27, 10. 36, 29. 40, 12. Diod. XVI, 12, 4. Neque vero in ceteris Dionis virtutibus celebrandis non congruunt, sed maxime memorabile est iudicium, quod a Plutarcho de consiliis eius ad rem publicam gubernandam spectantibus fertur. Nam quum e Diodori de Heraclide verbis XVI. 17, 2 emicet Dionem a suspicione affectandae tyrannidis negari liberum fuisse et a Cornelio X. 7, 2 imperiosus illius animus commemoretur atque ab ipso Plutarcho alias (c. 8 et 52) de eius acerbitate et asperitate verba fiant, in his, de quibus agitur, capitibus omnia ita describuntur, ut Dionis consilia moderatione plena Syracusanis saluberrima appareant. Cf. pag. 28, 30. 29, 16 (*τὸ σεμνὸν τοῦ Δίωνος*), 33, 30 (*ὥςπερ ἰατρὸν ἐν ἀκριβεῖ καὶ σωφρονούσῃ διαίτῃ κατασχεῖν τὴν πόλιν*), 35, 10 (*πρᾴως καὶ πατρικῶς ὑπομένοντα τὰς ἁμαρτίας*). Amantissimus patriae nihil sui commodi causa, sed omnia salutis civium gratia facit; adversarii eum regni cupidum esse clamitant, ipse id tantum agit, ut populi cupiditates et libidines intra iustos fines retineat; belli civilis nulla culpa in eum conferri potest, nam omni modo Syracusanos ad sanitatem revocare studet, donec postremo pro sua ipsius vita armis dimicare cogitur. Cf. pag. 28, 28. 34, 25. 42, 28. Clarissimum autem magni animi exemplum est, quum eos libentissime e summis periculis eripiat, a quibus maxima iniuria affectus est. Cf. capp. 42. 43. 46.

2) *Idem scriptor, ut Dionis amicum decet, civitatum salutem positam esse censet in optimorum consiliis; itaque cum odio et contemptione in studia popularium invehitur tamquam turbulentorum et imprudentium hominum.*

Quod fastidium auctor contra populare imperium habuerit apertissime compluribus ex locis cognoscitur, veluti pag. 29, 14: »*ὄχλον θεραπεύεσθαι ζητοῦντος*«. 29, 19: »*πρὸ τοῦ δῆμος εἶναι δημαγωγεῖσθαι θέλοντες.*« 33, 26: »*οἱ δ' ὥσπερ ἐκ μακρᾶς ἀῤῥωστίας τῆς τυραννίδος εὐθὺς ἐπιχειροῦντες ἐξανίστασθαι καὶ πράττειν τὰ τῶν αὐτονομουμένων παρὰ καιρὸν ἐσφάλλοντο μὲν αὐτοὶ ταῖς πράξεσιν, ἐμίσουν*

δὲ τὸν Δίωνα ...«. 35, 23: »μεγαλοφρονοῦντες ἐπὶ τὸ μηδενὸς ἀκούειν«. 41, 15: »δημοκοπίαν, ἐπιμανὲς νόσημα, τυραννίδος οὐκ ἔλαττον.« 42, 18: »ὁ ναυτικὸς ὄχλος καὶ βάναυσος.« Cf. et. pag. 36, 2.

3) Quum ille auctor omnem rei publicae statum fastidiat, quo apud populum summa imperii est, acerbissime eum insectetur necesse est, qui popularium fautorem et adiutorem se profitetur, *Heraclidem. Hunc contumeliosissimis verbis obruit tamquam ingratissimum, perniciosissimum, perditissimum hominem neque omnem rerum turbatarum culpam in eum transferre dubitat.*

Ad Heraclidis mores illustrandos verbis utitur maximum odium prae se ferentibus, veluti »στρατηγικὸς μὲν ἄνθρωπος (!) καὶ γνώριμος ἀφ᾽ ἡγεμονίας .... οὐκ ἀραρὼς δὲ τὴν γνώμην, ἀλλὰ πρὸς πάντα κοῦφος, ἥκιστα δὲ βέβαιος ἐν κοινωνίᾳ πραγμάτων ἀρχὴν ὄντων καὶ δόξαν«, »κακὸς καὶ βάσκανος ἄνθρωπος«, »εἰ καὶ τἆλλα μηδενὸς ἄξιός ἐστι, δημοτικώτερόν γε πάντως εἶναι τοῦ Δίωνος καὶ μᾶλλον ὑπὸ χεῖρα τοῖς πολλοῖς«, »ταραχώδης καὶ εὐμετάθετος καὶ στασιαστικός«. Cf. pag. 29, 4. 41, 14. 42, 20. 47, 1. Nulla igitur Heraclidi virtus tribuitur nisi belli quaedam peritia, vitia enumerantur plurima. Tale autem quidquam neque apud Corn. X. 6, 3, neque apud Diod. XVI. 16, 2 et 17, 3 legitur.

Porro scimus Heraclidem non ab initio bello ad Siciliam liberandam gesto interfuisse, sed Syracusas venisse, quum tyrannus in arce iam inclusus et Syracusanis libertas reddita esset. De qua re diversa sunt scriptorum iudicia. Nam quum Diodorus XVI. 6, 5 et 16, 2 Heraclidem tradat iussu Dionis in Graecia remansisse et, quominus suo tempore ad liberandam Siciliam adveniret, tempestatibus impeditum esse, a Plutarchi auctore non modo excusationes non proferuntur, sed ex ipsa re gravissimae criminationes deducuntur: Dicitur Heraclides (c. 32) a Dionis causa defecisse et sua sponte naves contra Dionysium instruxisse classique Syracusanorum praepositus esse, quia maxime multitudinis libidinibus inservire sciverit.

Denique omnia, quae apud Plutarchum legimus, eo potissimum spectant, ut demonstrent Heraclidis necem unum fuisse remedium urbi gravissimis malis afflictae eiusque rei causam non ex Dionis animo acerbo et imperioso, sed ex illius ipsius hominis rerum novarum semper cupidissimi nequitia esse repetendam. Nulla amittitur occasio, quin magnus Dionis animus Heraclidis pravitati opponatur. Syracusani enim inscio illo concione habita hunc navibus praeponunt, sed statim coguntur hoc plebiscitum rursum abrogare; quo facto ab ipso Dione Heraclides leviter vituperatus »*ὡς οὐ καλῶς οὐδὲ συμφερόντως ὑπὲρ δόξης στασιάζων*« classi praefectus specie quidem ei obsequiosus est, revera autem insidias parat et qualibet ratione civium excitat suspicionem (c. 33). Post Dionysii fugam, quum de hac re male audiverit, ut populi concitationem in Dionem avertat, per Hipponem quendam multitudinem stimulat, ut aequam agrorum distributionem poscant, mercenariis stipendia abrogent, in Dionis locum alios duces creent (c. 37). Hi duces, inter quos etiam Heraclides est, plebi inservientes post diuturnam servitutem recenti libertate effusissime frui gestienti (c. 40) perversissime urbi consulunt: expellunt Dionem eiusque mercenarios et auctores sunt magnae ignominiae Syracusanis illatae (c. 39). Victoria de Nypsio reportata nimium elati una cum plebe in comessationes et insanas voluptates se ingurgitant omnibus rebus ad defendendam urbem quam imparatissimis et hanc ob socordiam summam calamitatem a civibus avertere non possunt (c. 41). Quum Dio et mercenarii paratissimi sint ad auxilium urbi ferendum Dionysii copiis noctu in arcem reductis turbulenti illi homines novos spiritus sumunt et multitudinem excitant, ut Dionem ab urbis ingressu arceant. Post haec quum a Nypsio novus impetus in urbem factus sit idemque multo terribilior (c. 44), Heraclides fratrem et avunculum ad Dionem mittit precaturos, ut Syracusas e periculis eripiat (c. 45), atque se ipsum illi tradit (c. 47). Dio quidem quamvis amicis, ne ullus misericordiae locus relinquatur, suadentibus tamen clementia usus omnem

iniuriarum memoriam deponit negans decere philosophum in inimicos intemperantia efferri, sed Heraclides minime hac moderatione permotus, postquam ipse rogavit, ut Dio omnium copiarum dux creetur, imperio maritimo recepto novas insidias ei parat et milites nautasque in eum tamquam tyrannidis cupidum exacerbat. Atque adeo profligatus est, ut per Pharacem paciscatur cum Dionysio. Qua re turbis et difficultatibus ortis Dio ab amicis vehementer vituperatur, quod tam scelestum hominem e medio non tollat (c. 48). Deinde Heraclides, postquam Dionem coegit iniquo tempore praelium cum Pharace committere, classe inopinato Syracusas petere illumque ex urbe excludere constituit. Hoc celeritate Dionis irritum cadit et Heraclides, qui frustra Gaesylum Lacedaemonium Syracusanis ducem commendavit, per hunc cum Dione reconciliatur magna sacramentorum fide ac religione se obstringens (c. 49). Sed ne hac quidem re moveri potest, ut tumultuari desinat: vocatus ad concilium non venit, sed accusat Dionem, quod neque arcem neque sepulcrum tyranni deleverit et Corinthiorum virorum consiliis utatur. Tum demum Dio, quum intellegat Heraclidem in futurum quoque turbulentum omnibus suis consiliis obstiturum esse, amicis, ut adversarium odiosissimum percutiant, permittit (c. 53). Fieri igitur nullo modo poterat, quin is e medio tolleretur, qui, quamquam iteratam iniuriarum veniam impetraverat, tamen Dioni insidiari et in civitate omnia turbare et miscere non desineret. Quod quum ipsi intellexissent, Syracusani Dioni ignoverunt »*ὡς οὐ δυνατὸν ἦν ταρασσομένην παύσασθαι τὴν πόλιν Ἡρακλείδου καὶ Δίωνος ἅμα πολιτευομένων.*«

4) Scriptor non solum Syracusanorum animos turbidos et ingratos pervellit, sed etiam *quam plurimum potest quaqua occasione oblata de bellicis eorum laudibus detrahit.* Cf. pag. 27, 8 et 39, 7: »*φευγόντων τῶν Συρακουσίων*«. 27, 23: *τοὺς Συρακουσίους ἔπαυε φυγῆς*«. 35, 2: »*οὐδεὶς ἔμεινε τῶν Συρακουσίων, ἀλλ᾽ ᾤχοντο φεύγοντες ἀνὰ τὰς ἀγυιάς*«. 35, 12: *αἰσχίονα φυγὴν τῆς προτέρας φυγόντες*«.

5) *Contra ea ubique scriptorem id potissimum agere videmus, ut luculentissime illustret virtutem eximiam et fere incredibilem mercenariorum. Omnia ita describuntur, ut depulsum tyrannum liberatamque Siciliam nisi Dionis mercenariorumque meritum non esse tibi persuadeas.*

Quum Dionysius primum subito impetu Syracusanorum circummunitiones aggressus est, mercenarii soli audacter praeliantur, mercenarii Dionem e mediis hostibus eripiunt, mercenariorum ductor Timonides post Dionem vulneratum praelium administrat, mercenarii subsidiarii pugnam decernunt: Syracusanorum Dio per urbem perequitans sistere cogitur fugam (c. 30). (Contra ea apud Diod. XVI. 12 de Syracusanis tantum sermo est eorumque virtutes quam maxime collucent, neutiquam autem mercenariorum mentio fit.)

Porro secundum Plutarchi auctorem mercenarii non solum in ipsis praeliis quam fortissime pugnant, sed etiam summis magnorum animorum laudibus digni sunt, quum neque amplis Syracusanorum promissis ab officio avertantur et, quamvis maximis iniuriis offensi, tamen libentissime adversarios e gravissimis tempestatibus servent. Syracusani enim primum iis stipendia abrogant, deinde magnis pollicitationibus eos a Dionis amicitia abducere conantur; hi vero fidem servant et ducem ex urbe educunt (c. 38) [1]), Syracusanos autem nulla re ad sanitatem revocatos et viribus suis fretos bis in turpem fugam convertunt (c. 39). Leontini eos summis honoribus excipiunt omnesque socii convocati Syracusanorum iniustitiam improbant (c. 40). Nihilo minus, quum urbani hostes soli repellere non possint, legati atque Dio apud eos concionati haud aegre impetrant, ut se illis non defuturos esse polliceantur (c. 43). Summa eorum contentione et mirabili velocitate adiutus Dio in urbem introit et pugnam committit Syracusanis mercenarios tamquam fratres et cives salutantibus. Eximia virtute per plateas ardentes ad mu-

1) Plane aliter haec omnia narrat Diod. XVI. 17.

nitiones angustum aditum habentes progrediuntur et extremum vitae periculum libentissime subeuntes caede magna confecta splendidissimam victoriam reportant (c. 46) [1]) urbemque salvam reddunt.

De hoc toto mercenariorum praeconio cf. pot. pag. 27, 4. 28, 4. 34, 14. 35, 1. 36, 30. 37, 26. 39, 28. 40, 10. 42, 5.

Consentaneum toti narrationis rationi est, quod omnia, quorum descriptione mercenariorum laudes praedicari non potuerunt, a Plutarcho vel quam brevissime tanguntur vel plane silentio praetermittuntur, veluti classis praelium cum Dionysii navibus frumentum apportantibus commissum (Diod. c. 13), victoria apud Leontinos de Philisto a Syracusanis reportata (Diod. c. 16), ea, quae in arce ante Nypsii adventum gesta sunt (Diod. c. 18), Pharacis contra Neapolim Agrigentinorum expeditio (Plut. c. 49).

Ex iis, quae attuli, satis redundare arbitror libelli, quem Plutarchus in hac vitae Dionis parte illustranda secutus sit, unam esse rationem, ut omnium, quae illo tempore magna praeclaraque gesta sunt, merita conferat in Dionem et mercenarios, omnium autem, quae prava et turpia facta sunt, culpam attribuat Heraclidi et Syracusanis. Quae caeco quodam Dionis Graecorumque militum studio atque nimio Siculorum odio scripta esse vel per se neminem fugere potest et confirmatur iis, quae Diodorus de his rebus memoriae tradit. Nam Diodorus laudat quidem mercenariorum virtutem, ut decet, tamen de eorum meritis tam gloriose mentiri, quam Plutarchus, plane omittit, atque Dionem celebrat quidem neque tamen Heraclidem contumeliose increpitat, immo vero excusat eum et, quod suo tempore Dioni in expugnanda insula non adfuerit, hoc tempestatum iniquitate factum esse dicit. Syracusanorum autem fortitudinem quomodo praedicaverit ex iis intellegitur,

---

1) Apparet Plutarchi narrationem, si cum Diodorea c. 20 comparamus, ita institutam esse, ut periculis et difficultatibus auctis etiam mercenariorum fortitudo cumuletur: hostes in vastando occupatos atque incompositos vincere multo minorem laudem habet.

quae cap. 12 de praelio cum Dionysii militibus commisso tradit, ubi mercenariorum plane nulla exstat commemoratio.

Haec omnia si reputaverimus atque si res plerumque tam dilucide describi consideraverimus, ut ab homine, qui ipsis interfuerit, appareat eas depingi, sine dubio eorum probabimus opinionem, qui Plutarchi auctorem esse censeant *Timonidem*. Cf. Volquardsen. pag. 95. not.

Timonides amicus Dionis erat, Platonis discipulus, mercenariorum dux nobilissimus: ecquem alium quaerimus, qui maiore studio Dionis rebus faverit, licentiam multitudinis contempserit, mercenarios aeque praedicaverit atque maledixerit Syracusanis?

Sed quum dubitari nequeat, quin magna pars narrationis Plutarcheae ex hoc fonte derivanda sit, quaeritur, num, quae ex Timonidis literis repetenda sint certioribus terminis circumscribi possint. Viri docti, quod equidem sciam, illos certos fines non pepigere, puto tamen eos cum probabilitate aliqua posse constitui.

Plutarchus enim non ad unius Timonidis auctoritatem recurrit, sed etiam testes affert Timaeum, Theopompum, Ephorum. Atqui Ephorum ibi tantum, ubi Philisti mortem narrat, cap. 35 ad confirmanda verba citat »ὡς ἁλισκομένης τῆς νεὼς ἑαυτὸν ἀνέλοι« neque mihi equidem non persuasum est Plutarchum ob illa pauca verba Ephorum ipsum non evolvisse, sed ea ex Timaeo desumpsisse, quem modo testem affert. Nam Timaeum accurate Ephori libros cognovisse eosque etiam in conscribendis tyrannorum Siciliensium rebus ad manum habuisse constat ex crebris illis opprobriis contumeliosis, quibus abundantissime eum persequitur (Tim. frg. 125 et 143). Atque hoc maxime mihi persuasit Plutarchum Ephorum non ipsum evolvisse, quod, quae de eo cap. 36 med. iudicat, ea quam maxime Timaeum resipiunt.

Alia vero Ephori vestigia non exstant [1]) neque vero

---

1) Sine iusta causa Wölfflin in edit. Polyaen. prf. p. XIII, 16 putat V, 2. 7 fluxisse ex Ephoro, quod caput cum Plut. c. 30 et 31 consentiens est.

Theopompum quisquam inveniat nisi in illo ipso cap. 24, ubi citatur, ita ut ex eo sola verba »λέγεται δὲ καὶ — ταῦτα μὲν οὖν Θεόπομπος ἱστόρηκεν« repetantur.

In has igitur angustias quaestio deducta est, ut sciscitemur quaenam ex Timonide, quae ex Timaeo hausta sint. Hoc loco ante omnia eorum opinioni mihi videtur occurrendum esse, si qui putent Plutarchum haud veri esse dissimile non ipsius Timonidis literas versasse, sed, quae huic fonti attribuenda sint, sumpsisse ex Timaeo Timonidem secuto. Certe negandum non est propter temporum rationem hoc fieri potuisse. Sed contra illam opinionem unum idemque gravissimum argumentum afferri potest. Inter ea, quae Timonidis propria esse diximus, non minime memorabilis est contemptio illa Syracusanorum odiosissima, qua ignavia et levitas eorum quam acerrime pervelluntur. Hoc autem mirum quantum abhorret a iudicio Timaei. Qui quomodo Syracusanos summis semper extulerit laudibus testatur Polyb. XII. 26. b. et Diod. XXI. frg. 30 (Tim. frg. 87 et 144).

Apparet igitur et omnia, quae supra contulimus, Timonidem resipere et ea, quae ad hunc revocanda sint, non per Timaeum Plutarcho cognita esse.

Ex Timaeo autem puto hausta esse capita 23—29. Nam in his capitibus minime ea expressa invenimus, quae Timonideo rerum describendarum generi conveniunt, invenimus autem ea, quae Timaei naturam et indolem significare scimus, superstitionem, religionem, praesagia, fabulas. Cf. Tim. frg. 71. Quemadmodum enim Timaeus ante Atheniensium in Siciliam expeditionem prodigiis totius belli eventum praemonstratum esse tradit [1]) atque ante Corinthiorum expeditionem Timoleonte duce susceptam victoria ab ipsis diis praenuntiatur — secundum Plutarchum vit. Timoleont. c. 8, ubi Timaeum auctorem esse nemo negat —, ita etiam in vita Dionis cap. 24 ante exercitus profectionem propter lunae defectum aliudque prodigium simillime de

1) Fricke. Unterschg üb. d. Quell. Plut. im Nic. u. Alc. p. 34. 57.

omnium rerum exitu divinatur. Neque vero haec ex Theopompo sumpta esse, quem in fine capitis Plutarchus citat, vel inde cognoscitur, quod verbis »λέγεται δὲ καί« satis manifesto transitus ad novum fontem indicatur. Eodem autem modo, quo cap. 24, etiam cap. 29 p. m. vates praesagivisse dicuntur primum quidem Dionis res laetissime efflorescere, sed brevi fore, ut evanescerent.

Porro fabulatorem deprehendis in fine cap. 26, hominem autem religiosum cognoscis ex verbis p. 19, 32. 20, 11. 22, 14. 24, 13 et 26. 25, 10 et 19. Haec omnia autem, quae exponuntur, Timaei naturae adeo respondent, ut, quum Plutarchus cap. 31 et 35 ad eius testimonium recurrat, ex eo repetantur necesse sit. Atque in hac re, ne id silentio praetermittam, haec capita differunt ab illis, quae Timonidi adscripsimus. Cuius rei ut exemplum afferam, Diodorus secundum auctorem suum XVI. 18, 5 et 20, 5 et de Syracusanis et de Dione victoriis de Nypsio reportatis refert »τοῖς θεοῖς μεγαλοπρεπῶς ἔθυσαν ἐπινίκια« et »ἔθυσε τοῖς θεοῖς ὑπὲρ τῆς σωτηρίας«, apud Plutarchum autem (c. 41. 46) de his sacrificiis nihil dicitur.

Deinde haud scio an hoc documenti loco fungi possit, quod Plutarchus Syracusanorum nobiles, qui c. 44 »γνώριμοι«, c. 48 »γνωριμώτατοι« et »ἄριστοι« dicuntur, c. 28 »γνωρίμους καὶ χαρίεντας« appellat. Nam a Timaeo illis nomen »χαριέστατοι« datum esse ex Diod. XI. 86. 87. 92. XIII. 92. concludi potest.

Neque vero desunt, quibus demonstretur inter c. 29 fin. et c. 30 med. fontium factam esse commutationem. Primum quidem videtur alicuius momenti esse, quod c. 23—29 non ea, quae Timonidem sapit, laudis abundantia mercenarii praedicantur. Laudat eos quidem Plutarchus c. 22 fin. neque tamen c. 23 describere omittit in quantum terrorem iniecti sint audito sibi contra Dionysium bellum suscipiendum esse. Hunc pavorem magni periculi imminentis quis negat consentaneum esse humanae naturae? Et tamen ausim negare eum auctorem, qui postea incredibilis mercenariorum virtutis praeconem se profitetur, hoc loco disertis

verbis exposuisse maxima trepidatione illos affectos, ductoribus iratos esse, Dionem ut bona spe destitutum insaniae et amentiae incusasse. Atque quam paullatim mercenariorum magnae dubitationes remotae sint satis multis verbis c. 23 et 24 init. significatur.

Tum omnino nihil comperimus quid ex illis millibus hominum factum sit, qui ex Siciliae urbibus et vicis ad Dionem confluxisse et cum eo Syracusas introiisse feruntur. Cf. c. 26. 27. Nam in omnium praeliorum descriptionibus soli mercenarii commemorantur pugnasse, de illa autem multitudine tacetur.

Porro cap. 29 legimus cum Dione et Megacle simul viginti collegas imperii creatos esse, frustra autem in ea, quae sequitur, narratione ullam eorum, quibuscum Dio rei publicae administrationem communicaverat, mentionem quaerimus: nisi Dionem invenimus neminem, qui civitatem moderetur. Cf. pag. 29, 22. 33, 26.

Denique gravissimum argumentum, quo appareat duos auctores a Plutarcho exscriptos esse, mihi videtur peti posse ex ipsa dicendi ratione. Nemo enim sibi persuadebit fortuito factum esse, quod in omnibus fere iis capitibus, quae Timonidi adiudicanda esse opinor, Dionis mercenarii dicuntur »ξένοι«, in iis autem, quae Timaeo adscribenda esse censeo, plerumque »στρατιῶται«. Conferas enim:

στρατιῶται: c. 22. 23 (bis). 24. 25 (quater). 26. 27. ‖
: c. 30. 47.

ξένοι : c. 28. ‖
: c. 30 (bis). 31 (bis). 34 (bis). 35. 37. 38. 39 (quater). 40 (bis). 42. 43 (ter). 44. 45 (bis). 46 (ter). 48.

μισθοφόροι: c. 35.

Haec satis demonstrare puto, quod dixi, hanc secundam vitae partem ex duobus potissimum fontibus haustam esse et in universum priora quidem capita ex Timaeo, posteriora ex Timonide profluxisse.

Restat igitur, ut pauca dicantur de capp. 22, 29 fin. — 30 med., 38 init., 50 post init., 51.

Ex iis, quae supra (p. 17) collata sunt, patet c. 22 init. ex eodem fonte manasse, ex quo pleraque primi partis capita petita sunt, ex Academico. Quum in iis, quae sequuntur, ea imprimis illustrentur, quae Speusippus aliique Academici ad adiuvandum Dionem fecerint, veri est simile haec ex eodem fonte esse deducenda. Sane ea, quae de Eudemo, Timonide, Milta dicta sunt, ad Timonidis auctoritatem referri nequeunt. Harum enim rerum in illius epistola ad Speusippum data vix mentio fieri potuit, quoniam Speusippus his omnibus ipse interfuerat et ea de causa haec ei narrare plane supervacaneum erat. Itaque probabile est novum fontem — Timaeum — usurpatum esse inde a verbis »τῶν δ᾽ ὑπὸ τοῦ τυράννου πεφυγαδευμένων«, quamquam, ubi scriptor ab una operis parte praecipua transit ad alteram, fontes saepe coniuncti sunt et ob eam rem difficulter discerni possunt.

Deinde vestigia Timaei cognoscimus c. 29 usque ad verba »μὴ τροπήν τινα — λαβῶσιν«, Timonidis autem inde a verbis c. 30 »γενομένης τῆς προσβολῆς«. Quaeritur igitur ad quem scriptorem verba referenda sint c. 29 fin. usque ad med. c. 30. Res non prorsus diiudicari potest; quae tamen argumenta parvula afferri possunt, ea Timonidem commendant. Scriptum enim est primum »Δίωνι προσῆγον ἁμάξαι πανοπλίας, ἃς Συνάλῳ κατέλιπεν«, quum de hac re c. 25 fin. nihil exstet neque c. 25 init. »πανοπλίαι« commemorentur, sed »δισχίλιαι ἀσπίδες, βέλη, δόρατα«. Praeterea iam c. 30 vigintiviratus ille in oblivionem venit, cuius c. 29 mentio facta est, quum omnia solus Dio administrare tradatur.

Timaeo autem adscribam c. 38 initium. Nam quae hic narrantur, ea quam maxime eius indoli consentanea sunt, praesertim quum ne vaticinium quidem futurorum malorum desit. Cf. pot. p. 34, 10. Ex eodem scriptore c. 50 p. init. verba de arcis deditione et ingenti Syracusanorum laetitia ob hanc rem orta deprompta esse arbitror. Nam Timonidem, qui tanta acerbitate Syracusanorum levitatem atque malas artes quaqua occasione oblata in-

crepitet, quanta infestissimum eorum adversarium prodit, vix credibile est hic adeo evolasse, ut eorum tyrannide eversa summam laetitiam speciosissimis verbis illustraret. Cf. pot. pag. 44, 17. Verba autem in fine huius capitis Plutarchi ipsius videntur esse neque omnino apte cum iis, quae antecedunt, continentur: nam Dionysii fuga iam c. 37 descripta est, c. 50 autem agitur de Apollocrate. Etiam »*τῶν λεγομένων κατὰ τῆς τύχης παραδειγμάτων ἐμφανέστατον*« multo magis secunda Dionysii fuga videtur fuisse, quam prima. Nam post hanc in Italia novam tyrannidem instituere potuit, post illam autem, quum Corinthum se contulisset, »ad sordidissimum vitae genus descendit«.

Utrum lepida narratiuncula c. 51 ex Timaeo hausta sit necne dubium est; forsitan ex Academico manaverit. Nam Aristomachae et Aretae (*τῶν γυναικῶν*) in iis capitibus, quae ex hoc profluxerunt, saepius rationem habere vidimus atque huius fontis, ut demonstrabimus, vestigia in eo, quod sequitur, c. 52 apertissime cognoscuntur.

His igitur expositis in hac secunda vitae parte auctores Plutarcho praesto fuisse statuimus:

Timaeum: c. 22 fin. (?). c. 23—24 med. c. 25—29 s. fin. c. 35 s. fin. (Ephor.) c. 38 init. 50 p. init.
Timonidem: c. 30—35 med. 37. 38 med.—50 init.
Theopompum: c. 24 med.
Academicum: c. 22 p. pr. 51 (?).

In fontibus tertiae partis indagandis eo facilius spero nos ad certum quendam finem perventuros esse, quo plures difficultates iam in primae partis auctoribus eruendis remotae sunt. Hic fere sola Cornelii capp. 6—10 ad comparationem adhibebimus, quum epistolae Platonicae in universum tantum de Dionis morte agant et apud Diodor. XVI. 31 fin. fere nihil exstet.

In Plutarchi narratione — ut omnia iam quam brevissime comprehendam — epistolae Platonicae tribus citantur locis:

1) c. 52: »ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν Πλάτων ἔγραφεν, ὡς πρὸς ἕνα νῦν τῆς οἰκουμένης τοῦτον ἅπαντες ἀποβλέπουσιν.« Epist. p. 320 D: »τὸ δὲ νῦν ὑπάρχον περὶ σὲ τοιοῦτόν ἐστιν, ὥστε τοὺς ἐξ ἁπάσης τῆς οἰκουμένης, εἰ καὶ νεανικώτερόν ἐστιν εἰπεῖν, εἰς ἕνα τόπον ἀποβλέπειν καὶ ἐν τούτῳ μάλιστα πρὸς σέ.«

2) c. 52. cf. c. 8 et Epist. p. 321 C.

3) c. 54: Κάλλιππος, ὅν φησιν ὁ Πλάτων οὐκ ἀπὸ παιδείας, ἀλλ' ἐκ μυσταγωγιῶν καὶ τῆς περιτρεχούσης ἑταιρείας γνώριμον αὐτῷ γενέσθαι καὶ συνήθη.« Epist. p. 333 E: »... οὐκ ἐκ φιλοσοφίας γεγονότε φίλω, ἀλλ' ἐκ τῆς περιτρεχούσης ἑταιρείας ταύτης τῆς τῶν πλείστων φίλων, ἣν ἐκ τοῦ ξενίζειν τε καὶ μυεῖν καὶ ἐποπτεύειν πραγματεύονται κ. τ. λ.

Atque ex hoc ipso, quod Plutarchus in his capp. ter ad Platonis testimonium se revocat, probabile fit haec ex eodem fonte manasse, quo maximam partem capita 3—21. Nam quum viderimus non ipsum Plutarchum, sed auctorem eius, quem Academicum diximus, epistolas illas inspexisse, non est cur hic aliter iudicemus.

Accedit, quod ceterae quoque rationes, quas in prima illa parte apparere vidimus, hic recognoscuntur. Atque primum quidem hominem philosophum, non historicum iudicium ferre ex eo intellegitur, quod non tam eae Dionis virtutes praedicantur, quae imperatorem et rei publicae gubernatorem ornant, quam eae, quae hominis sunt philosophiae studiis exculti. Cf. p. 45, 20 et 46, 2.

Cui rei consonum est, quod Academicus de Dionis consiliis et rationibus politicis accurate iudicare plane supersedet atque satis habet pauca de illius asperitate et gravitate verba iecisse (c. 52 fin.). Deinde, sicuti cap. 17 prae omnibus urbibus Athenarum mentio facta est, ita c. 58 quoque haec urbs paullo officiosius in luce collocatur. Cf. p. 50, 10. Hoc modo cavere, ne quis, quia unus Atheniensis quidam homo facinerosus erat, omnem civitatem nequam esse putet, nullius interesse potuit nisi amicissimi Atheniensibus; atque Academicum hoc scripsisse probabilius reddunt loci in epist. p. 334 B. et 336 D.

Denique hoc praetermittendum non est, quod in his

capitibus iudicium de mercenariis plane aliud fertur atque in iis partibus, quas Timonidis auctoritate niti supra exposuimus. Quae enim de mercenariorum et ducum et militum consuetudinibus dicuntur, non possunt ex Timonide hausta esse; confirmatur igitur in hoc quidem capite alium auctorem exscriptum esse.

Age vero reputemus omnium earum rerum, quae ex epistolis sumptae non sunt, eandem inter Cornelium et Plutarchum esse rationem, quam supra significavimus. Hunc quoque consensum ita explicandum esse, ut censeamus Cornelium ipsum Timaeum, Plutarchum Academicum Timaeo usum sequi, videtur mihi veri simillimum esse.

Quod is, qui Dionem interfecit apud Plutarchum Callippus, apud Cornelium Callicrates nominatur, inde certe efficiendum non est utriusque scriptoris fontes fuisse plane diversos. Nam ex sola nominum propriorum formae varietate validum argumentum peti nequit, quae varietas saepissime ea de re orta est, quod nomina propria in codicibus per compendium scripta sunt. Haec igitur differentia eo minorem vim habet ad iudicium nostrum, quo maior in ceteris inter utrumque consensus est. Qui quantus fuerit intelleges, si haec comparaveris: Corn. X. 8, 2. 3. 8, 4. 8, 5. 9, 3. 9, 6. = Plut. p. 47, 25. 48, 3. 48, 28. 49, 8. 49, 13. 49, 23. 49, 30.

Hac comparatione apparet Cornelium et Plutarchum non de universis solum, verum etiam de minutis quibusdam rebus valde consentire. Sane non nego ab altero scriptore nonnulla quoque narrari, quae alter vel omnino non vel paullo aliter tradit. Sed hoc minime contra opinionem meam est. Atque in omnibus his quaestionibus nunquam neglegenda est magna Cornelii levitas atque inscitia, qui interdum inepte secum ipse repugnat, ita ut tenendum sit multo maioris esse momenti ad fontes cognoscendos ea, de quibus auctor aliquis cum Cornelio consentit, quam ea, de quibus dissentit.

Ex omnibus autem, quae attulimus, cognoscitur in hac tertia vitae parte alia originem habere ex epistolis Plato-

nicis, alia ex iis non deducenda maxime consentanea esse iis, quae apud Cornelium legimus: eaedem igitur necessitudines, quas in illa prima parte invenimus, hic iterum conspiciuntur. Atque mea quidem sententia validioribus argumentis nullisdum opus est, sed quasi necessario efficitur Plutarchum eodem Academico, ex quo priora illa capita fluxerunt, hic quoque usum esse, Cornelium Timaeo. Scriptorem autem, qui praeter epistolographum consultus est, Timaeum esse eo confirmatur, quod vestigia satis aperta recognoscuntur hominis religiosi et superstitiosi, qui omnia ad numen divinum revocat, fortunae magnam vim ad hominum fata moderanda tribuit, res futuras opinatur prodigiis praemonstrari. Huc pertinet, quod cap. 35 non solum copiosissime narratur quo viso vespertino Dio perterritus sit, sed etiam ad hanc speciem Hipparini mors voluntaria refertur. Porro conf. p. 49, 15 et 32 et luculentissimum exemplum pag. 50, 16. Etiam quod pag. 49, 9 magni sacramenti ritus accuratissime describitur, historicum Siculum prodit; atque qua religione quam saepe deae illae a Timaeo commemorentur ex Diodori libris satis cognoscitur; conf. XI. 26. XIV. 63. 70. 77. (Volquardsen. pag. 92, 1.)

Etiam quae de Aristomachae et Aretae casu miserabili dicuntur (capp. 57 et 58) coniicio Academicum ex Timaeo hausisse, finem vero totius libelli et pauca quaedam additamenta Plutarcho ipsi tribuenda esse.

Quae ex tota hac disputatione mihi videantur effloruisse breviter atque summatim comprehendam. Plutarcho hanc vitam descripturo uberrima materiae copia in promptu erat. Nam Dionis res persecuti sunt ii scriptores, quibus ille alias vel maxime usus est, Philistus, Theopompus, Ephorus, Timaeus, qui ipse et ex his prioribus et ex Athanae libro illo accurato haurire potuit [1]).

1) Hoc ex Plut. Timol. c. 23 et 37 concludi potest. Cf. etiam Holm. l. l. I. p. 309.

Phanias quoque et Satyrus Peripatetici, ex quibus in aliis vitis nonnulla sumpsit, de his rebus consuli poterant et de Platone eius discipuli Speusippus, Hermodorus, Philippus Opuntius, Xenocrates scripta reliquerant.

Dionis igitur res haud contemnendo numero satis bonorum auctorum memoriae traditae erant, quibus auctoribus diligenter adhibitis et comparatis cum iudicio illorum temporum imago ad fidem veritatemque depingi poterat.

Sed hoc Plutarchi non est, qui quo consilio vitas conscripserit declarat ipse in vit. Alex. c. 1.

Itaque mirum non est, quod in Dione fidei historicae ratione minus habita talem adhibere studuit auctorem, qui magis mores Dionis quam res gestas illustraret simulque aliquid afferret ad legentium honestatem excolendam. Atqui in scriptorem incidit, qui in his rebus exponendis ante omnia explicare studuit quam vim salubrem philosophiae cum universae tum academicae studium ad Dionis — et paullulum etiam ad Dionysii tyranni — mores consiliaque exercuerit. Cui scriptori palmam dare non dubitavit.

Hic autem, cuius nomen me desperare dixi, quem unius brevitatis causa Academicum nominavi, nititur epistolis Platonicis, qui fons certe suspectae fidei est, atque ea, quae hic non invenit, si non omnia, at permulta ex Timaeo adscribit. Quo in opere quod primum magis epistolas (Plut. capp. 3—21), postea magis Timaeum exscripsit (Plut. capp. 52—58), natura rei secum tulit: nam de Platonis itineribus Siciliensibus ille fons copiosam materiam praebuit, de Dionis autem interitu quam parcissimam. Ex hoc igitur Plutarchum pleraque eorum hausisse arbitror, quae prima atque tertia vitae parte continentur. Praeterea autem Timaeum ipsum quoque inspexit atque ex eo nonnulla assumpsit, quae commemoratione digna putabat. Ceteroquin eo magis hunc evolvere supersedit, quo maiorem inter eum et Academicum consensum deprehendit. Hoc modo mihi quidem videtur optime explicari posse, quod eiusdem Timaei vestigia modo in illius Academici modo in Plutarchi ipsius verbis indagamus.

Ille vero propter naturam suam parum suppeditasse putandus est ad Dionis bellum contra Dionysium susceptum et factionum certamina describenda. Itaque ad haec illustranda Plutarchus et Timaeum ipsum diligentius consuluit et alium adhibuit auctorem, qui de illis accuratissime quidem neque tamen incorrupto iudicio egit, Timonidem. A quo tempore exordium faciens hic res Sicilienses in illa epistola exposuerit nescimus neque perspicimus qua de causa Plutarchus eum Timaeo praetulerit; hoc tamen apparet duos fontes secundae vitae partis posse discerni et ex Timonidis libro cum studio et ira composito ea sumpta esse, quae ad discidia illa inter Dionem et Syracusanos orta spectant.

Quae si omnia reputaverimus, non dubitabimus pronuntiare Plutarchi vitam Dionis ad fidelissimos illius temporis rebus cognoscendis fontes adnumerari non posse.

Quum auctores, quibus Plutarchus in vita Dionis usus est, magis ex hoc ipso libro, quam ex ceterorum comparatione cognosci potuerint, de Diodori, Cornelii, Iustini fontibus adhuc aut omnino nihil dixi aut subsecivis tantum operis in eos inquisivi. Ut autem totius quaestionis quasi orbis perficiatur, pauca appendicis loco addam.

1) *Cornelii* quidem et in quattuor primis et in ultimis capitibus fontem esse *Timaeum* iam supra demonstrare studui neque quidquam inveni eius naturae absonum. Sane contra hunc auctorem non est, quod Cornelius quamvis omnibus rebus in angustissimum gyrum contractis multa commemorat, quae apud ceteros scriptores desiderantur (Cf. Nipperdey ad c. 6—10); unde hoc quidem effici potest usurpatum esse librum copiosius has res tractantem. Porro si quis scriptor auctoris sui fusam latamque narrationem eo, quo Cornelius facit, modo coartat, ne ea quidem, quae pusilla atque minimi ponderis videantur, praetermittenda sunt. Itaque considerandum est iudicium illud de fortunae vicissitudinibus, quod apud Corn. c. 6 init. exhibetur, quam

maxime proprium esse Timaei (conf. cum alia Diod., tum XIV. 76, 1) atque etiam ex Plut. c. 24 et 29, ubi vates rerum tunc vigentium languorem praemonstrasse dicuntur, concludi posse Timaeum in rebus Dionis exponendis fortunae mobilitatem vel maxime illustravisse.

Alia certa argumenta quominus ex c. 6 et 7 enucleemus, impedimur rerum confusione aliqua atque perturbatione, quae Cornelii neglegentia facta est; in universum autem cognoscitur iudicium de Dione ferri non mitissimum, cuius acerbitas et violentia satis aperte collucet. Dolendum est, quod nunquam diserte commemoratur quidquam, quo manifestum fiat quemadmodum Timaeus de ratione iudicaverit, qua Dio res Syracusanorum moderaretur. Sed illud Cornelii iudicium resipere Timaeum haud scio an ex Plutarchi quodam loco probabile reddi possit. Hic enim abhorrens ab iis, quae in ipsa vita exposuit, Dion. et Brut. syncr. c. 3 s. f. dicit »*διὸ τούτῳ μὲν οὐδ' οἱ φίλοι πάντες ἐπίστευσαν, ὡς μεταστήσας Διονύσιον οὐκ ἂν βεβαιώσαιτο τὴν ἀρχὴν αὐτῷ πρᾳοτέρῳ τυραννίδος ὀνόματι παραγαγὼν τοὺς πολίτας*«. Quum tres omnino scriptores adhibeat, Academicum, Timaeum, Timonidem, neque hoc iudicium in Academicum aut Timonidem quadret, probabilitatis aliquid habet ei illo loco Timaei verba animo obversata esse.

Deinde ea, quae apud Cornelium de Heraclide dicuntur, plane aliena sunt a Plutarchi illis odiosis criminationibus neque quidquam exhibetur, quo efficiatur Heraclidis merita ad Dionis non aspirare. (Cf. c. 5, 1.) Atqui Timaeum quoque iudicavisse Heraclidi aliquam patriae liberatae laudem tribuendam esse testatur eius frg. 103: »*ὥστε θαυμάζειν με .... πῶς οὐ καὶ εἰς Διονύσιον γράφει τὸν τύραννον· ἐπεὶ γὰρ εἰς τὸν Δία καὶ Ἡρακλέα δυσσεβὴς ἐγένετο, διὰ τοῦτ' αὐτὸν Δίων καὶ Ἡρακλείδης τὴν τυραννίδα ἀφείλοντο.*

Itaque cum probabilitate aliqua statui potest Cornelium fonte praecipuo usum esse Timaeo, atqui praeter c. 4 fin. unum c. 5 inde a verbis »sed Dion fretus« ex hoc fonte fluxisse negaverim. Nam verba »duabus onerariis

navibus« et »quinquaginta annorum imperium« non respondent iis, quae Plut. c. 25 init. et 29 fin. exhibet Timaeum, ut credo, secutus, sed congruunt cum Diod. XVI. 9, 2 et 11, 2. Videtur igitur Cornelius in his rebus illustrandis eundem scriptorem exscripsisse, qui etiam ex Diodoro recognoscitur, sine dubio *Ephorus*. Inde autem, quod Cornelius haec ex alio fonte hausit, apte explicatur, quomodo factum sit, ut omnia, quae ad perfectam urbis liberationem spectant, plane supersedeat commemorare et statim ad ultima Dionis fata narranda progrediatur.

2) De *Trogo Pompeio* liceat mihi quam brevissimo esse. Quum enim Iustinus etiam libr. XXI summa cum levitate excerpserit neque quidquam nisi pompam rhetoricam affectaverit (cf. pot. c. 1, 7. 2, 1. 2, 2.), fieri non potest, ut unde singulae quaeque profluxerint recte perspiciatur. Hoc tamen cognosci potest adhibitum esse maximam partem auctorem, cuius vestigia apud ceteros scriptores tenuissima exstant. Quum autem ea, quae c. 2 et 5 de Dionysio referuntur, prorsus consonent cum Theopompi frg. 217, probabilissima videtur Heereni opinio, qui in Comment. societ. Gotting. XV. p. 227 coniecit huius libri praecipuum auctorem esse *Theopompum*. Neque vero hic unicus fons videtur fuisse. Constat enim Trogum Pompeium in congerendis et comparandis fontibus multo accuratius ceteris huius generis scriptoribus versatum esse. Atque eum etiam in hoc libro praeter Theopompum alium auctorem consuluisse ex eo intellegitur, quod, quum in ceteris discrepent, in hisce verbis Diodorus XVI. 17, 2 et Iustinus c. 2, 8 quam maxime congruunt:

αὐτὸς δ' ἐνθέμενος τὰ χρήματα καὶ πᾶσαν τὴν βασιλικὴν παρασκευὴν ἔλαθεν ἐκπλεύσας καὶ κατῆρεν εἰς τὴν Ἰταλίαν.	cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus.

Verba autem Diodori ex Theopompo petita esse nulla re potest evidens reddi.

3) De *Diodori* fontibus doleo me certum quidquam animo non concepisse; itaque tantummodo exponam quibus

scrupulis impediar, quominus Volquardseni opinioni prorsus adstipuler. Hic enim l. l. p. 105 sibi persuasit Diodorum, ut in omnibus Siciliae rebus describendis, ita in Dionis factis narrandis praecipuo fonte *Timaeo* usum esse: sola XV. 6—7, XVI. 5—6, 9—11 med. negat ex hoc hausta esse. De his capitibus eius iudicium mihi videtur comprobandum esse; etiam quod *Ephoro* haec tribuit, mihi probatur.

Sed Ephori vestigia mihi videntur etiam in aliis huius libri XVI capitibus expressa esse. Volquardsenus enim ipse p. 48 squ. mentionem facit rhetoricae pompae, qua nonnullae Diodori librorum partes valde abundent. Atque primo quidem dicit in *pugnarum descriptionibus* facile cognosci traiectionem quandam veri et exaggeratum orationis genus et eorundem verborum speciosorum repetitionem: omnia eo illustrata esse modo, quasi non de una quadam pugna revera commissa agatur, sed ut in universum pugnandi imaginem nobis videamur videre, qualem homo rhetor militarium rerum scientia destitutus animo sibi formet et tamquam artis suae exercendae causa quam altissimis verbis depingat. Recte vir doctus animum advertit hanc rhetoricam magnificentiam non Diodori, sed eius propriam esse, quem in his rebus secutus sit, fontis. Miror igitur, quod, quum hoc describendi genus bene cognitum habuerit, eum fugit idem etiam in eius pugnae descriptione apparere, quam primam Syracusani Dione duce cum Dionysii copiis commiserunt [1]). Omnia enim, quae alias singula exstant, hic congesta deprehenduntur, ita ut mirum esset, si hanc descriptionem quasi illius schematis luculentissimum exemplum alii fonti tribueremus atque illas, quibuscum maximam similitudinem prae se fert. Hoc autem Ephorum resipere (cf. et. Polyb. XII. 25. f.) non minus probabile est, quam hanc illustrandi rationem et elatum dicendi genus non esse Timaei. In omnibus enim, quae

1) Nescio quo errore ductus Schubring. Rh. Mus. XX. p. 46 auctorem Diodori esse Philistum opinetur, quem constat Dionysii minoris res non ultra annum 362 persecutum esse.

ad hunc revocare possumus, Diodori partibus ad res Siciliae spectantibus vel concise breviterque praelia commemorantur magis quam describuntur, vel, si accuratior exstat explicatio, ea plane ab illa superlatione abhorret.

Nostra autem opinio confirmatur, ut puto, iis, quae cap. 16 s. f. de Philisti morte dicta sunt; nam a Plut. c. 35 traditur Ephorus narrasse »*ὡς ἁλισκομένης τῆς νεὼς ἑαυτὸν ἀνέλοι*«. Ex qua re quum viri docti iure concluserint hoc quoque Diodori ex Ephoro esse derivandum, parum intellego cur Volquardsenius l. l. pag. 102 hanc opinionem probandam esse negaverit. Mea quidem sententia Timaeo haec nisi artificiosiore ratiocinatione adscribi nequeunt.

Porro contra Timaeum et pro Ephoro afferri potest, quod fere ubique sine ira et studio iudicatur. Licet quam maxime Dionis et Syracusanorum virtutes celebrentur, tamen ne de adversariorum quidem laudibus detrahitur. Conferas, ut unum exemplum afferatur, quae de Philisto dicantur: »*διὰ τῆς ἰδίας ἀνδραγαθίας προτεροῦντος ... πιστότατος τῶν φίλων τοῖς δυνάσταις γεγονώς ... τὸν πρακτικώτατον τῶν φίλων ἀποβαλὼν καὶ στρατηγὸν ἕτερον ἀξιόχρεων οὐκ ἔχων*«.

Denique scimus hoc quoque ad rhetoricum Ephori genus scribendi pertinere, quod fere ubique multo maiores, quam ceteri rerum scriptores exhibent, numeros computare solet. Cf. Diod. XIII. 54. 60. 80. XIV. 54. Atqui, si c. 9. 10. 16 cum Plut. c. 22. 25. 27. 32 comparamus, in iis similem numerorum exsuperantiam invenimus.

Sed quamquam haec haud contemnenda argumenta esse arbitror, quibus demonstretur ad Ephorum quasdam narrationis partes esse revocandas, tamen num omnia ex uno fonte derivanda sint restant scrupuli. Quos quomodo dissolvam non iam vidi; spero tamen me libris Diodoreis accuratius tractatis occasionem nacturum esse, qua certius iudicium de his libr. XVI. capitibus facere possim: interim mihi liceat hanc quidem rem in suspenso relinquere.

CORRIGENDA.

Pag. 8, v. 12 et 13 lege »11, 3«, pro »10, 3«.

Pag. 9, v. 6 lege »exstant« pro »exstent«.

Pag. 12, v. 31 lege »ἐλευθερίας« post »ἀρχήν« et »πόῤῥωθεν«.

Pag. 30, v. 21 et 22 lege »ἀνάπλεων« pro »ἀναπλέων« et »δευσοποιόν« pro »δύσοπτον«.